BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Henschenius, Godefridus

God. Henschenii De episcopatu Traiectensi, episcoporum regumque Franciae iis coaevorum chronologia, et populis dioecesi illi subiectis diatriba

Antverpiae 1653

Regensburg, Staatliche Bibliothek -- 999/4Hist.pol.1043
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11064728-2

4° H.pol.
1043

Staatl. Bibliothek
Regensburg

Hist. 1043.

EPISCOPI
TRAIECTEN

EPISCOPI REGVMQVE
ET SVPERIORIS GERMANIAE
ET SVPERIS DIOECESI ILLI SVBIE

DIATRIBA

GODEFRIDI RENSCH

Nº 4120.

Comparavit S. Romang ao 1782.

DE EPISCOPATV
TRAIECTENSI,

EPISCOPORVM REGVMQVE FRANCIÆ
IIS COÆVORVM CHRONOLOGIA,
ET POPVLIS DIOECESI ILLI SVBIECTIS.

DIATRIBA

GODEFRIDI HENSCHENII

E SOCIETATE IESV,

Ex Actis Sanctorum, ab ipso & IOANNE BOLLANDO eiusdem Societ. illustratis.



ANTVERPIÆ
Typis IACOBI MEVRSII.
AN: CH. CIↃ IↃC LIII.

Stephanus Baluzius Tutelensis.



CODEX KIDI HERSCHENII

DIVISIO

TRIANGULENSIS

DE EPISCOPATU

ADMODVM REVERENDO

NOBILI ET AMPLISSIMO

DOMINO

D. RAINERIO MEYSZ,

PROTONOTARIO APOSTOLICO,

INSIGNIS ECCLESIÆ

S. SERVATII

TRAIECTI AD MOSAM

DECANO

ET CANONICO SENIORI.

AEui nostri indoles est, Admodvm Reverende, Nobilis, et Amplissime Domine, vt, cùm non artes solùm nouæ procudantur, noui vestimentorum ac vitæ modi in dies adsciscantur, nouæ etiam de Diuinitate opi-

niones excogitentur; omnes ſe tamen ANTIQVITATIS quàm maximè admiratores amatoreſque videri velint: Alij GENVS ANTIQVVM iactant, alij MORIBVS ANTIQVIS viuere ſe, alij ANTIQVA VIRTVTE AC FIDE ſapere gloriantur. Et qui præcipuum quoddam elegantiarum ſtudium præſeferunt, iis ANTEIQVI NVMI, obſoletæ picturæ, ſemiroſæ ſtatuæ, reſque aliæ vetuſtatem olentes in pretio ſunt.

Ea me ratio impulit, vt, quæ, dum in euoluendis, diſcutiendis edendiſque in lucem Actis Sanctorum plures iam annos deſudo, antiqua tria Ciuitatis Eccleſiæque Traiectenſis decora deprehendi, TIBI præcipuè offerenda cenſerem: TIBI, inquam, nobiliſſimi SERVATIANI CAPITVLI ANTIQVISSIMO CANONICO, at nouo ſemper animi ardore antiquam ſacrorum dignitatem propugnanti, ac vetuſtæ pietatis virtutumque ceterarum exercitationem promouenti. Qui eam ob cauſſam in Eccleſiam Veſtram antiquas cæremonias ac ritus, quibus Romana ceterarum Magiſtra ac Princeps Eccleſiarum vtitur, introduxeris, quemque illa obſeruat Officij Eccle-

ſiaſtici

ſtaſtici modum, religioſum cumprimis ac magnificum. Quid ſcholas dicam, LX per annos à Societate IESV fideliter adminiſtratas, eiſque nuper, neſcio quo fato, ereptas, à TE admirabili quadam induſtriâ inſtauratas, atque in nobili baſilicæ veſtræ ambitu, annexiſque illi ædificiis collocatas? Quanto has ſtudio foueas, præmiis excites, præſentiâ animes, aſſiſtens etiam non ſolùm dramatis ad morum conformationem accommodatis, ſed & ſolennibus examinibus, nihil attinet à me commemorari; quando ipſa, quæ nunc in iis inſtituitur iuuentus, vbi adoleuerit, ad poſteros grato animo eas Tuas laudes tranſmittet. Illud quoque illuſtre, (ſanctæ Antiquitatis dicam, an antiquæ Sanctitatis?) ab Apoſtolicis certè temporibus repetitum, in TE elucet exemplum; quòd, vt antiqui illi Eccleſiarum Præſides, tantâ liberalitate, tantâ Chriſtianæ caritatis ſignificatione, excipis hoſpitio peregrinos, præſertimque Religioſos.

At vereor, ne hæc TIBI grauis ſit moleſtaque, etſi veriſſima, Tuorum benefactorum commemoratio; efficiatque vt minùs, quàm

optoſpéroque, gratum accidat, quod oblatum venio munus, antiquum, ſed domeſticum; tria, inquam, Ciuitatis Eccleſiæque Traiectenſis inſignia atque ornamenta, non tam expolita à me, quàm abſterſo puluere vetuſtatis protracta in lucem. Ea ſunt Epiſcopalis auctoritas, Vrbi Veſtræ, in quâ ferè CCCL annis viguit, aſſerta: Antiſtitum, qui eam obtinuerunt, Regumque Francorum, qui eorum temporibus in Galliâ Germaniâque imperitarunt, Chronologia: ſubiectorum iiſdem Antiſtitibus veterum populorum deſcriptio, quaſique limites oſtenſi Dioœceſis. Primum quidem minimè dubium Vobis, ſed quorumdam ſcriptorum parùm ſolidâ contradictione vtcumque obſcuratum. Secundum multis ambagibus implexum, dum ſuo quiſque genio ac ſenſu veterum geſta ad modernam chronotaxim, nullo certo vſus charactere, accommodat. Tertium ceteris adhuc intactum: adeò vt cùm recens quidam Eccleſiæ Leodienſis Annalium ſcriptor moneretur à nobis, vt fines Dioœceſis, quales antiquitus fuêre, ſculptâ tabellâ repræſentaret, negârit id fieri à ſe poſſe,

quando omnia nunc mutata essent, populorum etiam nomina, non solùm dominia Principum. Quò erit æquius, veniam dari mihi, si quid fortè non satis obseruatum, hîc præteriero; dum in eo versor studio, quod neutiquam vnâ in re immoratur, sed omnium, qui vbique terrarum, omni ætate, vixerunt, Diuorum gesta complectitur.

Tespero, Admodvm Reverende, Nobilis et Amplissime Domine, & lucubrationem hanc meam pro Tuâ singulari sapientiâ probaturum, & Nominis eam Tui patrocinio fauoreque, pro Tuâ eximiâ humanitate, dignaturum: facturumque animos, vt Sanctorum Vestrorum, tum Præsulum, tum aliorum, res gestas constanti operâ illustremus: vti iam Vita pridem à nobis excusa, licet nondum publicata, S. Hadelini, qui in Vrbe Vestrâ sacris initiatus, in eadem & populum ad pietatem publicis sermonibus erudiuit, & Cleri mores, quos paullò tunc præfractiores haud satis æquo animo ferre S. Amandvs Episcopus potuerat, ipse sub S. Remaclo per plures annos, tum exemplo, tum admonitione,

tione, ad exactam Ecclesiasticæ disciplinæ observationem reuocare conatus est. Sed & alia sunt ad Vrbis Vestræ dignitatem spectantia antiquitatum monumenta, quæ vt nobis in Diuorum Acta quærentibus incident, colligere, ac posteà, si ita Vobis visum fuerit, luci dare non pigebit.

Illud Deum Opt. Max. precor, vt quæ per tot Antistites (qui, nemine dempto, omnes in Sanctorum tabulas relati sunt) iaci semina voluit orthodoxæ Fidei ac pietatis, ea ita foueat, vt numquàm desinant fructus vberrimos proferre: Voueoque præcipuè Amplissimæ & Admodùm Reuerendæ Dominationi Tuæ atque vniuerso insignis Ecclesiæ Vestræ Capitulo felicitatem. Antuerpiæ, Idib. Nouembr. CIↃ IↃC LIII.

NOBILIS ET AMPLISSÆ D. T.

humilis cliens

GODEFRIDVS HENSCHENIVS
è Societ. IESV.

LECTORI ERVDITO.

DVm ante annos aliquot S. AMANDI, *Episcopi Traiectensis, gesta ac miracula, à plurimis, etiam coætaneis, scripta auctoribus recensérem; vt ad receptæ Chronologiæ modum, nondum eorum temporibus vsurpatum, accommodarem; ac si quid obscurum videretur, minusue cum aliis historiarum veterum monumentis consentiens, explanarem; illud mirari incidit, cur tam acriter depugnent recentiores quidam Scriptores, vt ostendant, numquàm* TRAIECTI *Cathedram Episcopalem fixam fuisse, ac nullos verè Traiectenses Episcopos extitisse. Visum mihi igitur est faciendum, vt veterum Scriptorum minimè obscura testimonia colligerem, cumque imbecillibus ipsorum argumentis conferrem. Ea lucubratio caput vnum meorum* προλελεγμένων *ad* S. AMANDI *Vitam complectitur.*

Sed quia Operis nostri vasta moles est, vt non ita celeriter à nobis perpoliri, vel à Typographis procudi queat, atque vel ipsi optamus, vel amici vrgent; hanc seorsim vulgare Diatribam constitui. Nam quòd tentatum posteà idem argumentum ab aliis fertur, qui haud satis multam fortassis in antiquis historiis peruolutandis operam posuêre, vel etiam ab earum lectione abhorrere se in suis scriptis profitentur; verendum videbatur, ne quid Veritas pateretur detrimenti, quæ non alio defenderetur præsidio rationum, ac præsertim (quod caput in historiâ est) testimoniorum firmamento. Duo alia addam, ac potiùs præmittam, capita, partim ex præuiâ, quam dixi, ad

tione, ad exactam Ecclesiasticæ disciplinæ observationem reuocare conatus est. Sed & alia sunt ad Vrbis Vestræ dignitatem spectantia antiquitatum monumenta, quæ vt nobis in Diuorum Acta quærentibus incident, colligere, ac posteà, si ita Vobis visum fuerit, luci dare non pigebit.

Illud Deum Opt. Max. precor, vt quæ per tot Antistites (qui, nemine dempto, omnes in Sanctorum tabulas relati sunt) iaci semina voluit orthodoxæ Fidei ac pietatis, ea ita foueat, vt numquàm desinant fructus vberrimos proferre: Voueoque præcipuè Amplissimæ & Admodùm Reuerendæ Dominationi Tuæ atque vniuerso insignis Ecclesiæ Vestræ Capitulo felicitatem. Antuerpiæ, Idib. Nouembr. CIↃ IↃC LIII.

NOBILIS ET AMPLISSÆ D. T.

humilis cliens

GODEFRIDVS HENSCHENIVS
è Societ. IESV.

LECTORI ERVDITO.

DVm ante annos aliquot S. AMANDI, *Episcopi Traiectensis, gesta ac miracula, à plurimis, etiam coætaneis, scripta auctoribus recenserem; vt ad receptæ Chronologiæ modum, nondum eorum temporibus vsurpatum, accommodarem; ac si quid obscurum videretur, minusue cum aliis historiarum veterum monumentis consentiens, explanarem; illud mirari incidit, cur tam acriter depugnent recentiores quidam Scriptores, vt ostendant, numquàm* TRAIECTI *Cathedram Episcopalem fixam fuisse, ac nullos verè Traiectenses Episcopos extitisse. Visum mihi igitur est faciendum, vt veterum Scriptorum minimè obscura testimonia colligerem, cumque imbecillibus ipsorum argumentis conferrem. Ea lucubratio caput vnum meorum* προλελεγμένων *ad* S. AMANDI *Vitam complectitur.*

Sed quia Operis nostri vasta moles est, vt non ita celeriter à nobis perpoliri, vel à Typographis procudi queat, atque vel ipsi optamus, vel amici vrgent; hanc seorsim vulgare Diatribam constitui. Nam quòd tentatum posteà idem argumentum ab aliis fertur, qui haud satis multam fortassis in antiquis historiis peruolutandis operam posuêre, vel etiam ab earum lectione abhorrere se in suis scriptis profitentur; verendum videbatur, ne quid Veritas pateretur detrimenti, quæ non alio defenderetur præsidio rationum, ac præsertim (quod caput in historiâ est) testimoniorum firmamento. Duo alia addam, ac potiùs præmittam, capita, partim ex præuiâ, quam dixi, ad

eiuſdem Diui Acta commentatione meâ, partim ex S. SIGEBERTI *Regis noſtri, id eſt, Auſtraſiæ, Vitâ, magno à me ſtudio illuſtratâ, ac dudum excuſâ, ſed non niſi cum reliquis Februarij Actis in publicum proditurâ: nimirùm de veteribus populis Diœceſis Traiectenſis, deque Epiſcoporum, qui illic ſederunt, à* S. SERVATIO *ad* S. HVBERTVM, *qui inde Cathedram tranſtulit, Chronologiâ, ad annos Regum, qui eo tempore rerum potiti in Gallia ac vicina Germania ſunt, accommodatâ.*

Tres igitur ſunt huius Diatribæ partes ſeu libri. I ipſum veluti corpus Epiſcopatus oſtendet, populos videlicet ad eum pertinentes, eique ſubiectos. II Antiſtites enumerabit, atque eorum annos, quoad obſeruari à nobis potuerunt, ad modernæ Æræ calculos, Regumque Francorum tempora adaptabit; non temerè tamen omnibus, quos alibi fuſiùs deduximus, palàm expoſitis characteribus ac Notis temporum. III denique liber TRAIECTO *vetuſtum Cathedræ Epiſcopalis decus, ac ſanctos ſuos Antiſtites vindicabit, eos dumtaxat, qui ibidem habitarunt. Nam ſi qui Leodij commorantes, titulo vſi ſunt, velut magis honorifico, Epiſcopatus Traiectenſis; eos tamen Leodio lubentes cedunt Traiectenſes, ſuis contenti. Faue* LECTOR, *& vale.*

LI-

LIBER I

Traiectensis Diœcesis latè per antiquos Belgij populos extenta.

I

Episcopatus Traiectensis cum Vltraiectino à nonnullis scriptoribus confusus: illius limites exteriores.

INferioris Germaniæ, siue Belgij moderni, ciuitates sunt duæ, nomine TRAIECTI celebratæ, ambæ solio olim Episcopali ornatæ: ad Mosam flumen altera, altera, ad antiquum Rheni alueum. Illa à situ *superius Traiectum* dicitur, Teutonico sermone *Ober-Tricht* & *Obtricht*. Quo etiam nomine Ammianus Marcellinus (qui sub Gratiano & Valentiniano Imperatoribus floruit) lib. xx Historiarum *Obtricense Mosæ oppidum* scripsit: Belgæ plerique ab eodem flumine *Mas-Tricht* nuncupant. Altera illa ad Rhenum ciuitas, *Onder-Tricht*, & contractè *Vtricht*, siue *Vtrecht*, ac Latinè *Vlterius Traiectum*, & *Vltraiectum* nuncupata; olim, dum Episcopalis in altero ad Mosam Traiecto Sedes stetit, metropolis fuit Frisiorum, sed à fide Christianâ abhorrentium: quibus postmodùm per viros Apostolicos excultis, datus est sub finem seculi Æræ Christianæ septimi primus Episcopus S. WILLIBRORDVS,

S. HVBERTO, qui Sedem è superiore Traiecto Leodium transportârat, annos aliquot superstes. Quæ cùm minimè ambigua sint, scriptores tamen nonnulli, nominum vicinitate decepti, varios prioris Sedis Episcopos ad hanc Ecclesiam ac Diœcesin Vltraiectinam transtulerunt. Ita S. AMANDVM (vt pluribus exemplis parcamus) Vltraiectinæ Sedis Episcopum dixerunt Gaspar Bruschius in Episcopis Argentinensibus, Martinus Crusius par. 1 Annalium Sueuicorum lib. 10 cap. 6, Petrus de Marcâ lib. 1 Historiæ Bearniæ cap. 25 num. 10, Samuel Guichenonus in Historiâ Bressiæ & Beugesiæ ex Martyrologio MS. Nantuacensis in eadem Beugesiâ monasterij, ac plures alij. Sed omisso nunc Vltraiecto, de Traiectensi ad Mosam Sede agendum, ac magnitudo diœcesis limitesque, & ad eam spectantes populi lustrandi.

Bartholomæus Fisen è Societate IESV, libris editis clarus, in præfatione ad Flores Ecclesiæ Leodiensis, asserit *Diœcesin*, siue *Ecclesiasticam præfecturam Episcoporum Leodiensium* (quæ eadem ratio est antiquorum Traiectensium) *amplissimos habuisse fines, & altero tantò maiores, quàm hodie sint, ad annum vsque superioris seculi quinquagesimum nonum; quando nouis Episcopatibus per Belgicam constitutis, detracta Leodiensi tota Diœcesis Namurcensis, Ruremondana, Siluaducensis, maximâq; item pars Mechliniensis ac Antuerpiensis.* Quæ paullùm exaggeratè & παραυξητικῶς dicta. Mechlinienſis quippe & Antuerpiensis Diœceses ex diuulsis à Cameracensi membris potissimùm sunt coagmentatæ. Siluaducensi adiuncta quædam ex Vltraiectinâ. Ruremundanæ magna pars ex Colonienſi decerpta, non solùm quæ ad Vahalim fluuium iacet ditio vrbsque Neomagensis, sed & quæ non procul à Mosâ & Ruremundâ loca distant: nam in eorum quibusdam Canonici Colonienſes, antiquo Patronatus iure, etiamnum sacerdotia

dotia conferunt. Quod mihi de eccleſiâ ſuâ, S. Dionyſio ſacrâ, coràm indicauit Gerardus Pontanus V. CL. Paſtor Virſenſis & regionis Crikenbecanæ Archipresbyter. Habuit tamen antiqua Traiectenſis, ac dein Leodienſis, Diœceſis fines valdè amplos, circumquaque diffuſos, inter conterminos Epiſcopatus, Colonienſem, Treuirenſem, Remenſem, Cameracenſem, dein & Vltraiectinum. Quia verò trecentis & ampliùs annis, antequàm Sedes illa Vltraiectina conſtituta eſt, Traiecti ad Moſam Epiſcopi viginti, viri Apoſtolici ac vitæ ſanctitate clari floruerunt; arbitramur eos non ſuam modò Diœceſim ab omni idolorum ſpurcitiâ ſedulò expurgaſſe; verùm & Vltraiectinam (quatenùs id Principum bella ac feritas incolarum ſiuerunt) adîſſe nonnumquàm, ac limitanea ſaltem loca excoluiſſe.

II

Eburones, Sunici, Condruſi, Pæmani, Segni, Cæreſi, populi Diœceſis Traiectenſis; finitimi Colonienſi, Treuirenſi & Remenſi Epiſcopatibus.

HOs populos, demptis *Sunicis*, enumerat Iulius Cæſar in ſuis de Bello Gallico commentariis, atque *ex gente & numero Germanorum eſſe* tradit lib. 6 § 32: ac lib. 2 § 4 *vno nomine Germanos adpellari*. Nomen EBVRONIBVS ab Vrtâ amne, quaſi *Eb* ſiue *Ep Ourt*, *ad* vel *ſuper Vrtam*. Ita apud Britannos *Eboracum*, ſiue *Eburacum*, vrbs egregia ad Vrum flumen. Vrta in Moſam iuxta Leodium illabitur. Latiùs tamen paullò, quàm ad vtramque eius ripam, coluêre Eburones. Nam quoſdam eorum etiam cis Moſam habitaſſe, Cæſar idem

ostendit lib. 5 § 24: *quorum* Eburonum, inquit, *pars maxima est inter Mosam & Rhenum.* Si solùm pars maxima ibi est, ergo alibi pars quoque, minor licet: finitima, vt mox indicat, *Aduaticis*, quos cis Mosam habitasse nemo ambigit. Quanta Eburonum regio Cæsaris temporibus fuerit, ex eius verbis statui potest. ADVATVCA, inquit lib. 6 § 32, *castelli nomen est. Hoc ferè est in mediis Eburonum finibus.* Nomen à voce Teutonica *VVacht*, quod excubias significat, *VVaken* excubare, ductum esse coniiciunt viri eruditi: indeque & *Aduatucam* Tungrorum, ac posteà *VVachtendoncam* Gelrorum, dictas. *Aduatuca* vtraque, suo abolito, gentis induit nomen. Nam & vrbs Tungrorum *Tungri* posterioribus seculis dicta, & castellum illud Eburonum *Ebura*: nec aliud genti vtrique nunc vetusti nominis vestigium. Est porrò *Ebura* turris vetusta, in colle sita, qui leucâ ferè ab vrbe Leodiensi distat, & subterfluẽtem Vrtam, paulloque pòst sese miscentem Mosæ, despectat. *Embure* vulgò nunc vocant, aut *Ambure*, euphoniæ nescio cuius gratiâ, aut labentis æui vitio; vti *Sambre* dicitur, qui *Sabis* fuit fluuius. Est ex aduerso Aduatucæ *Capræmons*, in quo prævalida quondam arx fuit, cuius in historiâ Luithprandi lib. 4 cap. 19 & in multis Sanctorum Actis fit mentio. Atque is esse collis videtur, qui inter cohortes frumentatum missas à Q. Cicerone, & castra ad Aduatucam, intererat, oppugnantibus hæc Sigambris, vti lib. 6 § 36 Cæsar memorat.

Hoc iam posito *in mediis Eburonum finibus castello*, quàm longè ab eo ditionis fines abfuerint, ibidem indicat Cæsar § 35: *Cogunt*, inquit, *equitum duo millia Sigambri, qui sunt proximi Rheno ... transeuntes Rhenum nauibus ratibusq; ... primos Eburonum fines adeunt, multos ex fugâ dispersos excipiunt: magno pecoris numero, cuius sunt cupidissimi barbari, potiuntur: quibus in locis*

locis sit Cæsar, ex captiuis quærunt: profectum longiùs reperiunt, omnemq; exercitum discessisse cognoscunt. Atque vnus ex captiuis, Quid vos, inquit, hanc miseram ac tenuem sectamini prædam, quibus iam licet esse fortunatissimis? tribus horis Aduatucam venire potestis &c. Fuêre igitur primi illi fines *Eburonum*, quorum hîc mentio est, inter ea loca, vbi nunc Aquæ-Grani & Strabulaus oppida sunt, in Arduẽnæ tractu, vbi siluæ & modò frequentes, & tunc ferè perpẽtuæ; solùm ibi palustre, saxis quidem asperum, sed simul atque paullulùm pluit, non absque molimine peruium. Vbi iam ad leucas fortassis aliquot progressi erant Sigambri, intellexerunt, vt iam dictum, trium horarum itinere abesse se ab Atuatucâ meditullio Eburonum.

Propinqui Eburonum, quam diximus, ditioni, Boream versùs, SVNICI fuêre, quos Tacitus lib. 4 Historiar. cap. 66 Agrippinenses inter Tungrosque ac Bethasios locat. Eius inferiùs verba dabimus. Ij nunc Limburgiæ Ducatum, Comitatum Dalemensem, Rodæ-Ducis ac Falcoburgi ditiones, vrbemque & territorium Aquisgranense, ac Iuliacensium fortè confinia complectuntur. Et forsan pars aliqua illorum, Leodio nunc vicinior, ad Eburones quondam spectârat.

CONDRVSOS & SEGNOS Cæsar lib. 6 § 32 *inter Eburones Treuirosq; statuit.* Ac proximi Eburonibus *Condrusi* nomen hodieque retinent, ab Hoio oppido vltra Vrtam flumen latè sparsi: in diuisione regni Lotharij, anno IↃCCCLXX factâ inter eius patruos Ludouicum Regem Germaniæ & Carolum Caluum, in huius portionem cessêre.

PÆMANI, seu potiùs FÆMANI, vetere & ipsi adhuc nomine celebres sunt: quorum caput *Marchia* oppidum est, vulgò *Marche en Famenne.*

Sequuntur versus Treuiros SEGNI, ad *Sesmarim* fluuium,

in

in Chiniacenſi Comitatu: vbi & CÆRESI accolæ fuiſſe videntur *Cari* fluuij, vulgò *Cher* dicti, prope *Epoiſſum*, ſiue *Iuodium* oppidum: quod tamen cum locis quibuſdam vicinis ad Treuiros olim attinuit, ac nunc in eorum eſt diœceſi.

Iuodio finitimum eſt *Moſomagum*, ſiue *Moſomum*, ad dexteram Moſæ ripam, antiquum oppidum, ab ipſis Conſtanni Magni filiorum temporibus munitum: cui S. FALCO Epiſcopus Traiectenſis, neſcius ad Epiſcopi Remenſis diœceſin pertinere, ſub finem quinti à Chriſto ſeculi, aliquot *Leuitas*, *Presbyteros*, *Archidiaconos* præfecit: quos S. REMIGIVS, acri reprehenſione ad S. FALCONEM perſcriptâ, inde remouit. De Moſomo agimus IX Februarij ad Vitam Sanctorum Moſomenſium VICTORIS Martyris & SVSANNÆ Virginis: de Seſmari fluuio lociſque vicinis III Februarij in Vitâ S. HADELINI Confeſſoris, quem S. REMACLVS, cùm Solemniaco euocatus eſt in regnum Auſtraſiorum, ſecum duxit, factuſque Traiecti Epiſcopus ſibi ſocium ſumpſit, eius & domeſtico exemplo ſeſe ad pietatem excitaturus, & doctrinâ alios ad Chriſtianarum virtutum officia hortaturus. Nam & ob eam cauſſam illum ſacerdotio initiârat. Sed cùm, abdicato Epiſcopatu, ipſe Stabulaum ſecederet, ſecum eum abire paſſus eſt: ac poſteà miraculis diuinitus illuſtratum, ad Cellenſe, haud procul Dionanto, condendum aſceterium miſit, vt ibidem paginâ CCCLXXI & ſequentibus refertur. Ædificârat iam antè REMACLVS Epiſcopus, dum adhuc Traiectenſem Cathedram adminiſtraret, ſumptus præbente S. SIGEBERTO Rege Auſtraſiorum, illuſtria duo apud Arduennates monaſteria *Malmundarium* & *Stabulaum*, vix duabus leucis inuicem diſtantia, illud in Colonienſi, hoc in Traiectenſi diœceſi. De vtroque prolixè egimus ad eiuſdem S. SIGEBERTI Vitam, atque alibi ſæpe.

III

Aduatici, Tungri, Bethasij, Taxandri, populi Diœcesis Traiectensis, finitimi antiquæ Diœcesi Cameracensi.

FInitimi cis Mosam Eburonibus, vt habet Cæsar lib. 5 § 38, ADVATICI fuêre, *ex Cimbris Teutonisq; prognati*, vt anteà lib. 2 § 29 dixerat. *Demeram* fluuium inter & *siluam Carbonariam* habitasse videntur, *Neruiis* vicini, vt ab iis *postero die in Neruios peruenisse Ambiorigem* Cæsar idem scribat. Post cuius æuum nulla neque gentis *Aduaticorum*, neque *Eburonum* regni ciuitatisúe (quæ tamen, vt apud eum dicitur, *ignobilis atque humilis* erat) mentio extat, quod quidem meminerim. Quare cùm eos dicimus ad Traiectensem Episcopatum pertinuisse, de eorum id ditione, &, qui eam posteà tenuêre, populis volumus intelligi.

In horum Aduaticorum atque Eburonum ditiones præcipuas aduenerunt deinde TVNGRI, aliquibus *Turingi* dicti, quos *Toringos barbaros permissu Augusti Cæsaris has sedes obtinuisse* auctor est Procopius lib. 1 Rerum Gothicarum. Iidem apud S. Gregorium Turonensem lib. 2 Historiæ Francorum cap. 9 *Thoringi* dicuntur, quos hosce *Tungros* esse infrà dicemus. Ægidius à Leodio Aureæ-vallis monachus in additionibus ad Harigerum de Gestis Pontificum Tungrensium & Traiectensium cap. 13, *Tungros* vocat metropolim *Turingiorum*: quam diximus appellatam *Aduatucam Tungrorum*, nomine ab *Aduaticis* non abludente.

Reliquam autem *Aduaticorum* ditionem inhabitarunt BE-

THASII, quorum etiamnum vestigia remanent. Nam ad *Getam* amnem in oppidi *Halleni* præfecturâ, pagus *Betasia* est, contractè *Betsia*, vulgo *Beets*: vltra Demeram autem in Arschotano Ducatu *Betaghemium* est, quasi Betasiorum domus appellatum, cuius præfecturam Ecclesiasticam à Carolo Toparchâ Arschotano anno Chr. CIↃCCXLII in Abbatem Louaniensem monasterij S Gertrudis translatam fuisse narrat Gramaius in Rebus Brabanticis. Ibidem in præfecturâ Getensi, sub oppido Landâ, sed Thenis vicinius, duplex *Hasbanum*, superius & inferius est, vulgò *Ouerhespen* & *Neerhespen*: vnde ea regio *Hasbania* ac *Hasbanium*, & vulgò *Haspengauw* dicta videtur. De Tungris & Bethasiis infrà aliqua ex Tacito proferemus.

Ad dexteram Demeræ fluuij partem longissimè versùs Septemtrionem, ad vsque Caninefates & Batauorum confinia, fuerunt TAXANDRI, siue THESSAMDRI, aut TOXIANDRI. Horum *Thessandrorum prouinciam in proximo Traiectensibus fuisse*, ostendit Renerus ad S. Laurentium prope Leodium monachus, in Vitâ S. LAMBERTI Episcopi Traiectensis cap. 14. Nicolaus Canonicus Leodiensis in eiusdem S. Lamberti Vitâ cap. 12, *Belisiam* (vbi S. LANDRADA ex consilio S. LAMBERTI monasterium extruxit) tradit esse *in ingressu Taxandriæ, duobus à dirutis Tungrorum muris, duobus à Traiecto distantem milliaribus*. Idem antè cap. 10 dixerat, *Taxandriam à Traiectensi oppido vix tribus milliaribus disparari*. Iam à planitie regionis ferè *Campinia* appellatur; quodque ea admodùm arenosa sit, Belgisque *Sandt* arenam significet, olim *Tessandriæ* seu *Taxandriæ* sortita videtur nomen. Huius *Campiniæ* altera pars dominio Episcoporum Leodiensium subiicitur, altera vnà cum reliquâ Brabantiâ vnam in prouinciam coaluit. In Leodiensi Campiniâ prope Disthemium

pagus

pagus *Tessenderloo* visitur, Ammiano Marcellino lib. 17 *Toxiandria locus*: vbi ait, *Francos Salios ausos in Romano solo apud Toxiandriam locum habitacula sibi figere prælicenter. Quorum legatio, cùm Tungros veniisset Iulianus, ei occurrit, opinantium reperiri Imperatorem etiam tum in hibernis, pacem sub hac lege prætendens, vt quiescentes eos tamquàm in suis nec lacesseret quisquam nec vexaret: quos dedentes se cum opibus liberisq; suscepit.* Et hæc tertia sedes est Francorum Saliorum, de quorum aliorumque Francorum origine primâ, diuisione, sedibus ac migrationibus, commentarium dedimus 1 Februarij ad Vitam S. SIGEBERTI Regis, ex his Francis Saliis oriundi: diximusque paginâ CCVII *castrum Dispargum*, quod Gregorius Turonensis *in termino Thoringorum* (siue, vt Badius anno CIↃIↃXII excudit, *Tongrorum*) Sedem primorum Regum Francorum statuit, esse ipsum oppidum Disthemium, cuius alterum castrum (duo enim sunt) etiamnunc *Disburgum* appellatur. Quod cùm olim Ioanni Iacobo Chifletio per litteras indicassemus, ita summi vir iudicij probauit, vt id in nouis Luminibus ad Vindicias Hispanicas anno CIↃIↃCXLVII recusas vulgârit paginâ CCXXII, & primus quidem, vt tradit pluribusque explicat Gottefridus Vendelinus Toxandro-Salius cap. 14 ad Leges Salicas à se illustratas & anno CIↃ IↃÇ XLIX excusas. In limite Leodiensis Campiniæ est pagus *Budilio*, vulgò *Budel*, & *Buel*, intra Pelandiæ nunc fines, quem Carolus Magnus, signato anno Chr. IↃCCLXXIX diplomate, adscribit *Taxandro*, cuius Decimas, tum impetratas, adhuc obtinet Ecclesia Aquisgranensis. Simili modo monachi Epternacenses varias Decimas aliosque Ecclesiasticos prouentus, sibi testamento S. Willibrordi legatos, in *Taxandriâ*, nunc Campiniâ Brabanticâ hactenùs perçipiunt. In his referuntur, *Bobanschot*, *Alfem*, *Pieplo*, *Hinnesloten*, *Diosna*, *VVadradoch*

dradoch & *Buſlot*: quibus hæc modò ſunt nomina, *Boſchot*, *Alſen*, *Poppel*, *Hulſel*, *Dieſſen*, *VVedert* & *Buſlot*. Otto I Imperator, diplomatè anno IↃCCCC LXVI dato, in Notitiâ Eccleſiarum Belgij à Miræo cap. 62 relato, confirmat *hæreditatem S. Gertrudis, ſitam in pago Teſſandriâ ſuper fluuio Struonâ, in villâ quæ dicitur Bergom.* Oppidum id nunc *Berga*, ſeu *Mons S. Gertrudis* dicitur, eſtque prouinciæ Hollandicæ, quamuis in vlteriori Brabantiæ ripâ non procul Bredâ ſitum. Auctor antiquus Vitæ S. Gummari, XI Octobris illuſtrandæ, teſtatur *villam Leonem* (oppidum Liram intelligit) *vno à latere reſpicere Texandriam, à latere altero Reynenſem prouinciã*, & *haſce prouincias amne Nitâ*, ſeu Nethâ, *influente in villam ſequeſtrari*. Vniuerſim tamen Plinius lib. 4 cap. 17 *extera à Scaldi Taxandros incolere* ſcribit, vt ipſos quoque Reynenſes videatur inter Taxandros numerare.

I V

Maſaci, Maſegaui, vel Maſelandi, ad Moſam fluuium populi. Horum vrbs primaria Traiectum.

TAxandriam inter & fluuium Moſam, vti ait Nicolaus cap. 11 Vitæ S. LAMBERTI, quam ſeculo Æræ Chriſtianæ duodecimo ſcripſit, *eſt regio Leodienſi*, olim Traiectenſi, *parochiæ ſubdita, quæ à dextero latere, curſu Moſæ in Oceanum porrigentis clauſa, diuerſa ab incolis ſortitur nomina*: vti hac etiam tempeſtate, præter ea quæ ad ius Leodienſis metropolis ſpectant, ſunt *Hornæ* Comitatus, *Keſſelia*, *Boxmeria*, *Cuckia*, *Rauenſtenia*, *Maſelandia*. Hanc omnem regionem in MASA-

cis fuisse, manifestum infrà fiet ex Tacito. MARSACOS alij vocant: sed magis nobis, post Hubertum Leodium, Oliuarium Vredium aliosque probatur *Masacorum* nomẽ, à flumine ductum, quod accolæ *Masam* vocant. Hos autem *Masacos*, dein *Mosegauos*, *Masarios*, & *Maselandos* subsecutis temporibus vocarunt, ad vtramque Mosæ ripam habitantes: quorum regio in Diuisione regni Lotharij, anno IↃCCCLXX factâ, indicatur in duos distincta fuisse Comitatus, *superiorem & subteriorem Masau*, *Masegau*, seu *Maselandiam*.

In *Masacorum Comitatu superiore* fuisse *Traiectum*, ex variis Regum diplomatis constat. Ac primò *Arnulphus Rex*, posteà Imperator, cuius verba profert Christophorus Brouwerus lib. 9 Annalium Treuirensium, *supplicante Rathbodo Treuirensis Ecclesiæ Archiepiscopo*, tradidit *Ecclesiæ S. Petri Treuirensi abbatiam* S. SERVATII, *quæ vocatur* TRAIECTA, *in Comitatu* MASELAND *nuncupato, consistentem, cùm curtibus, mancipiis, Decimis, agris, siluis. Actum Franckenfort, Kalendis Iulij anno* IↃCCCLXXXIX, *Indictione* VII. Eadem habet Miræus in Notitiâ Ecclesiarum Belgij cap. 44. Apud quem deinde cap. 46 *Zuendeboldus Rex* memorat eam *Abbatiam à genitore suo Arnulpho Sedi Treuirensi contraditam*, à se *ob fallentium ora in precariam iniustè Reginario concessam. Quod circumcogitans*, reddit *antedictæ Sedi Treuirensi ipsam abbatiam, quæ est in pago* MASELAND, *vocabulo* TRAIECTO, *quæ in beati Cõfessoris honore consecrata est* SERVATII. *Actum Aquisgrani anno* IↃCCCXCVIII, *ipsâ die* S. SERVATII, III *Idus Maij, Indictione* I. Denique cap. 49 *Carolus Simplex* Rex Francorum hanc donationem confirmat his verbis: *Vir venerabilis Rutgerus, Treuirensis Archiepiscopus, plangendo adiit Celsitudinem nostram, dicens, quòd abbatia* S. SERVATII (*quæ est constructa in* TRAIECTO *in* COMITATV MASELANDT, *quam dedit Treuirensi Ecclesiæ Arnulphus Rex*) *violentiâ*

lentiâ Ragineri Comitis & filij eius Gisleberti, à prædictâ Treuirensi Ecclesiâ iam olim esset iniustè ablata. Ergo iudicio Scabinorum Palatij nostri, & attestatione fidelium nostrorum, ipsam abbatiam S. Petro, in cuius honorem est constructa Treuirensis Ecclesia, & prænominato Præsuli reddimus... Data Idibus Iunij, Indictione VIII, *anno* XXVII *regnante Rege Carolo... Actum Heristal palatio,* anno Chr. IↃCCCCXIX. Hæc ibi. Asserta deinde in pristinam libertatem est nobilissima ea S. SERVATII Ecclesia.

Apud eumdem Miræum in Codice Donationum cap. 15 referuntur *tres Reges fratres Lotharius, Ludouicus, & Carolus simul conuenisse secus Traiectum, in loco qui dicitur Marsna anno Dominicæ Incarnationis* IↃCCCXLVII. Huius loci prædium donauit monasterio Remensi S. REMIGII *Gerberga Ottonis* I Imperatoris soror, tum Regina Francorum, nupta *Ludouico Transmarino*, dicti *Caroli Simplicis* filio: in cuius donationis diplomate, ibidem cap. 38 relato, testatur *traditum* S. REMIGIO *quoddam prædium in alodio in honore S. Petri consecratum, vocabulo Mersen in Comitatu* MOSAVGÆ, *cum omnibus ad ipsum pertinentibus prædium... Actum III Idus Februarij, anno Incarnationis Dominicæ* IↃCCCC LXVIII. *In præfato Comitatu, in villâ quæ dicitur Sarta.* Est *Marsana*, seu *Marsna*, aut *Mersen* pagus secundo lapide à Traiecto & Valckenburgo cum monasteriolo, quod sub titulo Præposituræ à monachis Remensibus hactenùs possessum, iam cum aliis prædiis in Galliâ sitis commutatum, pertinet ad Canonicos Regulares Eaucourtianos in Artesiâ. Hæc de Traiecto, vrbe primariâ, siue metropoli Mosacorum, cum vicinâ Marsanâ, in superiore Maselandiâ, siue Mosaugâ.

Infra eam vrbem tum alia occurrunt loca, tum hæc celebriora; *Stochemium*, *Maseca*, seu *Masacum*, *Suestra*, seu *Susteræ*, quam *pago Mosariorum* adscribit Theofridus in Vitâ S. Willibrordi

librordi, *Ruremonda* Sedes iam Episcopalis, quam hoc tempore obtinet vigilantissimus Antistes, ANDREAS CRVSENVS, vir doctrinâ virtuteque eximius, è dicto Traiecto oriundus: dein *Venlona*, tum in vicino Kesselensi districtu *Venrada*, vbi binæ quotannis nundinæ frequentissimo hominum concursu celebrantur, Maio ac Nouembri, die proximo post ferias SS. SERVATII & HVBERTI, quorum ille primus, hic vltimus fuit vrbis Traiectensis Episcopus. Ibi bem in templo sanè magnifico, eius loci primario, (nam plura sunt illic & templa & monasteria) inter sedecim altaria vnum est S. LAMBERTO Martyri & Episcopo Traiectensi dicatum. Sequuntur, *Boxmera* Comitum Bergensium Baronia, *Grauia*, *Rauensteinium*, *Megena*, cui iungitur ditio hodieque *Maselandia* appellata, in quâ Mosæ pagi adiacent *Litha* & *Lithoa*, ciuili iurisdictioni Episcoporum Leodiensium etiamnum subiecti. Ex aduerso vltra alteram Mosæ ripam regiuncula est *Masa-Walia* ab vtroque fluuio dicta.

V

Caninefates in confiniis Traiectensis & Vltraiectinæ Diœceseon. Neruij, Menapij, Ambiuariti Fidei mysteriis instituti à S. AMANDO *Episcopo Traiectensi.*

IN prædictâ regni Lotharij diuisione anno IↃCCC LXX factâ, Comitatui subterioris Masau iam explicato iunguntur alij duo Comitatus, *Batua* & *Testrebant*: quorum ille pars est antiquorum *Batauorum*, iste *Caninefatum*, qui populi in Historiâ Taciti sæpius memorantur. Incoluêre *Batani* insu-

lam

lam inter *Vahalim* fluuium, dein *Meruam* dictum, & antiquum *Rheni* alueum, ad vsque vrbes *Vltraiectum* & *Leidam*, ideò *Lugdunum Batauorum* appellatam. At *Caninefatibus* attribuit Tacitus alteram insulæ partem, inter antiquum scilicet Mosæ alueum & Vahalim seu Meruam, vtrumque populum dirimentem: vbi cernuntur tum oppida *Bommelia, Heusda, VVorcomium* in Comitatu Tiftrebanto, tum insulæ *Dordracena* & *Iselmunda*, fortè etiam *Stria*, *Vorna*, *Flaccea* ac *Gorrea*. Aliquod antiquæ sedis *Caninefatum* vestigium extat iuxta nouum Mosæ alueum, quo ager Bommelianus à ditione Altenensi dirimitur, vbi prope pagum Alstum parua insula *Caninxuaert* etiamnum appellatur.

De *Masacis, Sunicis, Tungris*, *Bethasiis* & *Caninefatibus* agit Tacitus lib. 4 Histor. eosque omnes Galliarum partibus adscribit. Ibi cap. 14 *Ciuilis* Romanorum hostis *ad bellum incitaturus Batauos*, *ait: Esse sibi robur peditum equitumq́, consanguineos Germanos*, *Gallias idem cupientes.* Ac mox cap. 15 traduntur *missi ad Caninefates, qui consilia sociarent. Ea*, inquit, *gens partem insulæ colit*, scilicet à nobis indicatam, *origine, linguâ, virtute par Batauis, numero superantur.* Inde ad Germanos consanguineos regressus, *statimq́*, ait, *accitis Frisiis* (Transrhenana gens erat) *Oceano irrumpit.* Dein cap. 16 *Caninefates* Cisrhenanos, *Frisios* Transrhenanos, *Batauos* intermedios *propriis cuneis componit.* At clariùs Gallis eos adiungit cap. 32. Treuiros aliosque Galliæ populos ita alloquens: *Vos Treuiri ceteræq́ seruientium animæ, quod pretium effusi toties sanguinis expectatis?.. En ego Præfectus vnius cohortis, & Caninefates & Batani, exigua Galliarum portio, vana illa castrorum spatia excidimus* &c. Interim contra Ciuilem pro Romanis militans *Claudius Labeo* cap. 56 quosdam *Neruiorum Bethasiorumq́ in arma traxit, & furto magis quàm bello* viciniores *Caninefates Masacosq́*.

faceſq; incurſabat : nihil apud Batauos, quippe vlteriores, *auſus*. Et cap. 66, *quòminùs Ciuilis ſocietate Agrippinenſium auctus, occupatiſq; Sunicis, pergeret*, idem *Labeo Bethaſiorum Tungrorumq; & Neruiorum tumultuariâ manu reſtitit, quia pontem Moſæ fluminis*, ereptum Maſacis Ciuili confœderatis, *anteceperat :* Traiecti ſcilicet, vbi pontem fuiſſe, per quem Aduatucâ Tungrorum Coriouallum, nunc Valckenburgum, ibatur, ex Itinerario Antonini colligimus. *Pugnabatur in anguſtiis ambiguè, donec Germani tranſnatantes, terga Labeonis inuasêre. Simul ſe Ciuilis agmini Tungrorum intulit :* cui *primores Tungrorum vniuerſam gentem dedidêre. Ciuilis quoque Betaſios ac* Neruios *in fidem acceptos copiis ſuis adiunxit.* At c. 79. *Neruiorum multitudinem ſponte commotam, vt pro Romanis bellum capeſſeret, Caninefates fudêre : claſſem vltro iidem Caninefates aggreſſi ſunt, maiorq; pars nauium depreſſa aut capta.* Hæc Tacitus, qui in accurato opuſculo de ſitu, moribus & populis Germaniæ (quod validum eſt argumentum) hactenùs memoratos populos illis nõ annumerat: vt mirum ſit à Philippo Cluuerio in Germaniâ antiquâ *Caninefates* & *Maſacos* conſtitui, illis ad *Kennemarios* Alcmariæ Hollandorum vrbi vicinos, intra Friſios ablegatis: *Maſacorum* nomine pro *Marſorum* (quæ vltra Rhenum gens erat) ſumpto..

Qui ſuprà Neruij Bethaſiis à Tacito iunguntur, nec procul à *Caninefatibus* ſummouentur, illi ſunt qui *ſub imperio Neruiorum* à Iulio Cæſare lib. 5 § 39 *fuiſſe* dicuntur, in *Centrones, Grudios, Leuacos, Pleumoſios, Gordunos* diſtincti, & cum reliquis Neruiis antiquæ Diœceſi Cameracenſi incluſi: ſubſecutiſque temporibus *Bracbatenſes* & *Bracbanti*, aut etiam *Brachanti*, appellati; quorum ditio in quatuor Comitatus diſtincta traditur in Diuiſione regni Lotharij anno IↃCCCLXX factâ. Includitur ferè hoc *Bracbantum* fluuiis *Hainâ, Sennâ,*

Rupe-

Rupelâ, *Scaldi*, ad cuius tamen lęuam ripam *monaſterium Gandà*, à S. AMANDO extructum, *vbi corpore* S. BAVO *requieuit*, *pago Bracbatenſi* adſcribitur in diplomate Ludouici Pij dato eius Imperij anno VI, Chriſti IↃCCCXIX. Nec deerunt in hoc Bracbanto curioſis indagatoribus veſtigia antiquorum populorum à Cæſare indicatorum. *Gorduni* à quibuſdam Gandenſes cenſentur: Leuze à *Leuacis* & Cambron à *Centronibus* non multùm abludunt: Muſen à *Pleumoſiis* abſcerptum poſſet dici, & Groden ſeu Groen-hoef ſedes *Grudiorum* haberi, vſitatâ Belgis contractione.

Sed hæc ſolùm ideò adferuntur, ne ob talium vocum ſimilitudinem ab ingenioſo Vendelino eos permittamus Aduaticis Eburonibuſque immiſceri, neque ab aliis vltra Scaldim ablegari ad ditionem *Menapiorum*, quos *Morinis* adiungunt Iulius Cæſar & Plinius lib. 4. cap. 17. Strabo etiam lib. 4. & Dio Caſſius lib. 39 ὁμορᾶντας τοῖς Μεναπίοις Μορίνας ſtatuunt. Adſtipulantur poſteriores ſcriptores: ita in Geſtis Normannorum ante Rollonem Ducem, *Normanni Tornaco ciuitate, omnibuſq; monaſteriis ſuper Scaldem fluuium, anno* DCCCLXXX *ferro & igne deuaſtatis, & Cortriaco caſtro ad hiemandum conſtructo, Menapios & Sueuos vſque ad internecionem deleuerunt, omnemq; terram iuxta flumina Scaldim & Legiam conſumpſerunt.* Eodem modo apud Auctorem ineditum, à Vredio cap. 1 veteris Flandriæ citatum, *Normanni Taruannâ vrbe Morinorum vaſtatâ, omnem terram Menapiorum perambulando ferro & igne vaſtant. Poſt hæc Scaldem fluuium intrant, & omnem terram incendio & ferro delent.* Iidem *Normanni*, vt in Fragmento hiſtorico de Corbeiâ deſtructâ tomo II Scriptorum Franciæ habetur, *deſtruxerunt ferro & igne vrbem Taruennam, fines Morinorum, Menapiorum, Brachatenſium, omne quod circa Scaldum flumen erat.*

Philip-

Philippus ab Eleëmosynâ in Vitâ S. Amandi tradit *vrbem Menapiorum esse, quæ vulgato nomine Tornacus dicitur.* Ac deinde *Elnonem* asserit *intra Menapiorum positum fines, Propontiis Neruiisq; conterminum.* Vbi MS. nostro, antiquo charactere, additum est, *Menapios esse Tornacenses, Propontios Brachatenses, Neruios Hainonienses.* Continet Diœcesis Tornacensis, præter Tornacesium & Amandopolim, vrbes Insulas & Cortracum cum agris suis, atque olim (quæ iam abstractæ) Gandauum cum Aldenardâ, Brugas cum Aldenburgo, Slusâ viciniisque oppidis. Vnum qui fecerit populum, Menapios dixerit, longè ad Morinos fusum. Ludouicus Pius Imperator in Præcepto diuisionis Imperij inter filios faciendæ, videtur hanc Menapiorum ditionem diuidere in *Menapiscon, Medenenti,* & fortè *Franderes,* siue *Flandram,* quibus contiguas adiungit regiones *Bragbentum, Ainau, Austerban, Adertensem* & *Teruanensem.* Incoluisse tunc *Medenatenses* partem agri Insulensis ostendimus 11 Februarij ad Vitam S. Adalbaldi Ducis § 3. pag. 297, vbi & hisce regionibus varios simul Comites præfuisse diximus, sed qui ad nutum Regum poterant mutari ac deponi. *Menapiscus* in tabulis Roberti Frisij Comitis Flandriæ apud Meyerum ad annum CIↃ LXXI Casletum vsque extenditur, cui *Hicclesbekam*, etiamnum Baronatu illustrem in agro Bergarum S. Winoci, adscribit Folquinus Abbas Laubacensis in Vitâ S. Folcoini Episcopi Teroanensis, istic XIV Decembris, anno IↃCCCLV vitâ functi. Alios *Menapios*, ab hoc populo distinctos, ad Rhenum collocat Cæsar, & ex eo Dio, quos si *Genapios* quis diceret, euitaret fortasse confusionem: hos Tacitus *Gugernos* vocare videtur, iam ferè *Cliuij* dicuntur, ita à tribus istis oppidis nomina diuersa sortiti. Ptolemæus, dum hos *Menapios* confundit, multis à vero aberrandi occasio fuit, & ipsi fortè Cluuerio, in Campiniâ moder-

modernâ, *Taxandris* inde ad insulas Zelandicas depulsis, *Menapios* constituenti: qui tamen lib. 3 cap. 1 *Ptolemæum* appellat *mirum vbique Germaniarum turbatorem*, eumdem passim circà Galliam antiquam emendat Philippus Brietius in Parallelis Geographicis.

Dictas potiùs Zelandicas insulas videntur incoluisse AMBIVARITI, inter Caninefates, Taxandros, Neruios & Menapios, à nauium appulsu appellati: quòd Belgis hisce *aenvaren*, siue *aenbyvaren*, nauem appellere significet. Memorantur hi Cæsari, vbi scribit *Germanos Menapios misisse trans Mosam magnam partem equitatus ad Ambiuaritos prædandi frumentandiq; caussâ*, eosque inde *aliquot diebus* abfuisse. Cluuerius lib. 2 c. 16 veritus, vt circa Antuerpiam ac Bergizomium fuerit materia prædandi frumentandique, hos *Ambiuaritos* cum Aduaticis miscet. Eosdem *Ambiuaritos* cum vicinis Menapiis & Morinis in societatem belli ab *Armoricis* attractos, *naues q; in Venetiam* ab iis missas, videtur tradere Cæsar lib. 3 § 9. cuius locum Paulus Orosius, qui sub Arcadio & Honorio vixit, lib. 6 cap. 8 expressit, retento nomine *Ambiuaritorum*, qui *Ambialites* vocantur in editione Cæsaris. Hæc aptè Zelandis, & fortè ad Scaldim nunc circa Antuerpiam infraque habitantibus, conuenire quis non videt? Hîc fuisse *regionem Francorum, quam obliquis meatibus Scaldis interfluit, diuortioq; sui Rhenus amplectitur*: ex quâ viciniisque locis, iidem *Franci nauibus instructi Hispaniarum oras armis infestas habuêre, vastato Tarraconensium oppido, Hispaniam possederunt; Græciam conturbarunt; in Siciliam delati Syracusas spoliarunt*, tradunt Eumenius & Nazarius in Panegyricis, Aurelius Victor, Zosimus aliique à nobis relati paginâ CCVI & sequenti. Defuncto Ludouico Pio Imperatore, *VValchram*, seu *VValacras*, in hac Zelandiâ, aliaque vicina loca à Lothario Imperatore in beneficium

collata

collata fuisse Heriolto Danorum Regi, nuper Moguntiæ baptizato, diximus III Februarij ad Vitam S. ANSCHARII Archiepiscopi Hamburgensis, qui cum illo in Daniam antè profectus fuerat: inspiciatur pagina CCCXCIX, vbi & de Hemmingo fratre Heriolti istic interempto agitur. Ibidem pagina CCCXCVI traduntur antiquæ Flandriæ limites, Brugis ad hanc Zelandiam solùm extenti. *Flandrorum* atque *Antuerpiensium* primus meminit S. Audoënus in Vitâ S. Eligij circa annum IOC LXXIII scriptâ.

Ponemus infrà breuiarium rerum à S. AMANDO gestarum: in quo multa eius præclara ac diuina facinora elucent, in Dioecesibus Cameracensi & Tornacensi apud Neruios, Menapios, Flandros, Antuerpienses edita. Antuerpia tamen intra quam antiquissimo illo tempore Dioecesim extiterit, haud fortassis certum atque indubitatum. Rohingus, ipsius Antuerpiæ post septingentesimum Christi annum Princeps, S. WILLIBRORDVM, cuius, vt antè scriptum, Vltraiecti erat Sedes, testatur *Antuerpiensibus Episcopum præfuisse*. Cameracensi posteà Dioecesi innexa, propriam demum Cathedram meruit. Quis scit an non principiò ad Traiectensem Episcopatum attinuit? Primam certè, cuius vspiam mentio extet, ecclesiam Antuerpiæ S. AMANDVS Traiectensis Antistes construxit dedicauitque. Nisi quis velit, quâ amplissimâ pollebat Apostolicâ auctoritate, à Pontifice Maximo sibi collatâ, ad prædicandum vbiuis gentium Euangelium, fundandasque Ecclesias, eum hîc vsum esse.

LIBER II.

Episcopi Traiectenses XXI.

I.

Tungris Cathedra Episcopalis Traiectum translata. S. Seruatius primus Episcopus Traiectensis. Tungri ab Hunnis euersi. Chronologia nostra ab ætate S. Martini Episcopi Turonensis inchoata.



Ita est vrbs TVNGRORVM, quam Aduatucam olim appellatam fuisse diximus, ad viam militarem, quæ Bauaco Neruiorum Coloniam Agrippinam ducit. Sunt eiusmodi per Belgicam viæ antiquæ complures, quas communi nomine *Herbanen*, siue *Heyr-banen*, aut *Heyr-vveghen* vocamus, id est, exercitus vias, Galli *Chauceés*: quidam, quòd ab Romanis Gentilibus stratæ, *Heydens-vveghen*, Paganorum vias appellant. Inde factum videtur, vt Tungrorum vrbi, quò à quibusdam alibi locis, quibus nomen est *Tungris*, discerneretur, agnomen adhæserit *Tungrorum Paganorum*, vulgò *Heydens-Tongeren*, quod contractum fortè ex *Heydens-vvech-Tongeren*, quasi dicantur *Tungri ad viam militarem Romanorum*. Non desunt tamen, qui suspicentur inde hoc manasse cognomen, quòd illic, etiam post Euangelij prædicationem, superstitiones paganicæ, & præsertim profana ac diabolica

bolica diuinationum disciplina viguerit: quam qui, per chiromantiam præcipuè, exercent vagi quidam homines, nescio quâ ex gente, exterâ certè, profecti, *Heyd-lieden* vulgò appellantur, id est, *Pagani homines*. Floruisse autem apud veteres Tungros manteuticam illã artem, auctor est Vopiscus in Numeriano, vbi *Diocletianum* memorat, *cùm apud Tungros in Galliâ, quadam in cauponâ moraretur, in minoribus adhuc locis militans, & cum Druide muliere rationem conuictus sui quotidiani faceret*, ex eâ audisse: *Imperator eris, cùm Aprum occideris*. Quod ipsemet posteà auo Vopisci retulit: Imperioque tandem potitus est, cùm Aprum Præfectum Prætorij occidisset, anno Æræ Christianæ CCLXXXIV. At post grauissimam aduersùs Christianos persecutionem, depositâ Kalendis Aprilis anni CCCIV purpurâ, priuatus vixit vsque ad annum CCCXVI, quo anno, *Sabino & Rufino Cos.* III *Nonas Decembr. diem functus* traditur in Idatij Fastis Consularibus.

Quo eodem anno, *Imperij Constantini Magni* XI, *pace post excessum Diocletiani Ecclesiis redditâ, natum esse* S. MARTINVM *Episcopum Turonensem* scribit S. Gregorius Turonensis lib. I cap. 34. Ab illius autem, MARTINI, inquam, ætate epocham Francorum inchoatam, atque ad annum IↃCCXIV deductam, dedimus I Februarij ad Vitam S. SIGEBERTI Regis Francorum, diximusque eumdem S. MARTINVM creatum esse Episcopum anno CCCLXXI, mortuum *Attico & Cæsario Cos. anno Imperij Arcadij & Honorij* II, *ætatis suæ* LXXXI, *Episcopatus* XXVI, Æræ Christianæ CCCXCVII, *mediâ nocte, quæ Dominica habebatur*, VIII Nouembris; at sepultum, quo etiam colitur, XI eiusdem mensis: cuius de corpore egressum, teste eodem Turonensi, *Dominus dignatus est ostendere* S. AMBROSIO *Episcopo Mediolanensi*, qui anno sequẽte, siue CCCXCVIII, & ipse decessit.

Longè

Longè autem ante ſanctos hoſce Antiſtites, Tungrorum creatus Epiſcopus eſt S. SERVATIVS, qui in Cõcilio Agrippinenſi, ſub Conſtante filio Conſtantini Magni, *poſt conſulatum Amantij & Albini*, IV *Idus Maias*, anno Chriſti CCCXLVI habito, cum aliis Epiſcopis Euphratam Coloniæ Agrippinæ Epiſcopum, quòd Chriſtum Deum negaret, hæreſeos damnauit atque exauctorauit. Deinde ſub Conſtantio Imperatore anno CCCLIX interfuit Synodo Ariminenſi in Italiâ, vti retulimus XIII Ianuarij ad Vitam S. HILARII auctore Sulpitio Seuero lib. 2 Hiſtor. Eccleſ. excuſsâque eiuſdem HILARII ætate oſtendimus § 4, mortuum eum eſſe *anno Imperij Valentiniani & Valentis* III ferè expleto, Chriſti CCCLXVII. Quo tempore apud Tungros degebat SERVATIVS, doctrinâ, virtute, ſignis clarus. Verùm ſi fides adhibenda Ægidio à Leodio in auctario ad Harigerum de Epiſcopis Tungrenſibus & Traiectenſibus cap. 24, *talibus tantiſq; gratiarum muneribus antiquus inuidens inimicus, Octauienſes* (ita Tungros appellat, à Cæſare Auguſto Octauiano in illas partes tranſlatos) *incitauit aduersùs* S. SERVATIVM. *Primò detrahentes murmurabant, poſteà manifeſtè furentes clamabant: Quid nobis cum homine ignoto, ſimplici & ſtulto, qui neſcit iudicialia & leges terræ, qui non frequentat Reges & Curias, vt conſuetudo eſt aliorum Pontificum, ſed ſemper eſt in ſolitudine & ſilentio; vnde etiam res & honores diſperierunt ex eius otio? Et hæc clamantes irruerunt in eum, tamquàm ad latronem, & vix à vulneribus abſtinentes ſe, procùl eum ab vrbe eiecerunt, Sancto Domini hilari vultu ſuſtinente. Ibat exultans, quoniam dignus habitus eſt pro nomine Domini* IESV cõtumeliam pati. *Secuti ſunt illum Canonici, nolentes eum deſerere, prædicantem verbum Dei, donec perueniret Traiectum. In ſtratâ publicâ, quæ appellatur Regia, erat baſilica à* B. MATERNO *dedicata in honore S. Petri Apoſtolorum Principis: hanc ingreſſus, intimis lacrymis & verbis*

bis considerabat, & dicebat: Hîc Sanctus Domini MATERNVS *deambulauit, istic verbum vitæ pronuntiauit, hîc sedit, hîc orauit... In hac sanctæ contemplationis quiete, Creatori cœlesti intentus, cuncta præcognouit, quæ superuentura erant in seculo, præcipuèq; excidium Tungris & Galliarum.* Hæc ibi, quæ ferè eadem in Vitâ eius excusâ ac variis Mss. leguntur: subiuncto itinere Romano, quod ita describit S. Gregor. Turonensis lib. 2. Histor. Franc. cap. 5.

Rumor erat CHVNOS *in Gallias vèlle prorumpere. Erat autem tunc temporis apud Tungros oppidum* SERVATIVS *eximiæ sanctitatis Episcopus, qui vigiliis ac ieiuniis vacans, crebro lacrymarum imbre perfusus, Domini misericordiam precabatur, ne vnquam gentem hanc incredulam, sibiq; semper indignam, in Gallias peruenire permitteret. Sed sentiens per Spiritum, pro delictis populi, sibi hoc non fuisse concessum, consilium cepit, vt expeteret vrbem Romanam, scilicet vt adiunctis Apostolicæ virtutis patrociniis, quæ humiliter ad Dei misericordiam flagitabat, mereretur facilius obtinere. Accedens ergo ad beati Apostoli tumulum, deprecabatur auxilium bonitatis eius, in multâ abstinentiâ, maximâ inediâ se consumens, ita vt biduo triduoq; sine vllo cibo potuq; maneret, nec esset interuallum aliquod, in quo ab oratione cessaret. Cumq; ibidem multorum dierum spatia in tali afflictione moraretur, fertur hoc à beato Apostolo accepisse responsum: Quid me, vir sanctissime, inquietas? Ecce enim apud Domini deliberationem prorsus sancitum est, Chunos in Gallias aduenire, easq; maximâ tempestate debere depopulari. Nunc igitur sume consilium, accelera velociter, ordina domum tuam, sepulturam compone, require lintcamina munda. Ecce enim migrabis à corpore, nec videbunt oculi tui mala, quæ facturi sunt Chuni in Galliis, sicut locutus est Dominus Deus noster. Hoc à sancto Apostolo Pontifex responso suscepto, iter accelerat, Galliasq; velociter repetit, venienq; ad vrbem Tungrorum, quæ erant ne-*

cessaria

ceſſaria ſepulturæ, ſecum citiùs leuat, valeq; dicens Clericis ac reliquis ciuibus vrbis denuntiat, cùm fletu & lamentatione, quia non viſuri eſſent vltrà faciem illius. At illi cum eiulatu magno & lacrymis eum proſequentes, ſupplicabant humili prece dicentes: Ne derelinquas nos, Pater ſancte, ne obliuiſcaris noſtri, Paſtor bone. Sed cùm eum fletibus reuocare non poſſent, acceptâ benedictione cum oſculis, redierunt. Hic verò ad Traiectenſem vrbem accedens, modicâ pulſatus febre, receſſit à corpore: ablutuſq; à fidelibus, iuxta ipſum aggerem publicum eſt ſepultus. Cuius beatum corpus qualiter poſt multorum temporum ſpatia ſit tranſlatum, in libro Miraculorum ſcripſimus. Eſt is liber de Gloriâ Confeſſorum, cuius caput LXXIII ita incipit: SERVATIVS *verò Traiectenſis Epiſcopus tempore* CHVNORVM, *cùm ad irrumpendas prorumperent Gallias, fuiſſe memoratur.*

Horum CHVNORVM originem, atque in Imperium Romanum *Gratiano Auguſto* IV *& Merobaude Coſſ.* anno CCCLXXVII factas irruptiones, narrat Ammianus Marcellinus lib. 31, eoſque primò Alanis ſocios iungit, quorum dein Chunorum & Alanorum aliquos Gothi *ad ſocietatem* adſciuerunt: contra quos *Valens* Imperator ad Hadrianopolim dimicans, ſagittâ confoſſus, & cum tugurio, quò ſe receperat, viuus à Barbaris exuſtus eſt v Idus Auguſti anni CCCLXXVIII. Addit Ammianus *Gothos* HVNNIS *Alaniſq; permixtos, nimiùm bellicoſis & fortibus, rerumq; aſperarum difficultatibus induratis,* Conſtantinopolim obſedißè, ſed *cæleſti numine* repulſos. Quâ narratione auctor coæuus ſuam hiſtoriam concludit. S. Hieronymus epiſtolâ III ad Heliodorum, quàm fuerit fœda tum temporis rerum omnium facies, deſcribit: *Horret animus,* inquit, *temporum noſtrorum minas perſequi. Viginti & eo amplius anni ſunt, quòd inter Conſtantinopolim & Alpes Iulias quotidie Romanus ſanguis effunditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam,*

niam, Dardaniam, Daciam, Theſſalonicam, Achaiam, Epiros, Dalmatiam, cunctaſq́ Pannonias, Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, HVNNI, *VVandali, Marcomanni vaſtant, trahunt, rapiunt. Quot matronæ, quot Virgines Dei, & ingenua nobiliaq́ corpora his belluis fuêre ludibrio! Capti Epiſcopi, interfecti Presbyteri, & diuerſorum officia Clericorum, ſubuerſæ Eccleſiæ, ad altaria Chriſti ſtabulati equi, Martyrum effoſſæ Reliquiæ* &c.

Hæc nobis tempora eſſe videntur, quando, his Barbaris impunè percurſantibus prouincias Romanas, rumor erat Tungris, eos in Gallias velle prorumpere, ſolo Imperium vtrumque, Orientis & Occidentis, adminiſtrante Gratiano, qui tanto impar oneri anno CCCLXXIX die XIV Februarij conſortem adſciuit Theodoſium: quo anno, *Auſonio & Olybrio Coſſ.* inquit Idatius, *multa bella Romani cum Gothis commiſerunt. Deinde victoriæ nuntiatæ ſunt aduersùs Gothos, Alanos atque* HVNNOS *die* XV *Kalend. Decemb.* Acceſſerunt anno ſequenti aliæ victoriæ, & pax ſubſecuta: ipſeque Rex Gothorum Conſtantinopolim ingreſſus eſt III Idus Ianuarij anni CCCLXXXI, eodem mox menſe, VIII Kalend. Februarij, vitâ functus, ac regio more ſepultus. *Gratianus* etiam Barbaros aliquos tanti faciebat, vt eis res maximi momenti crederet, nullâ ratione ſuorum militum habitâ: vnde odium contra illum excitatum, & paullatim ſuccẽſum auctumque, ad rerum nouarum libidinem perpulit milites: à quibus *Flauius Clemens Maximus*, domo etiam cum Theodoſio Hiſpanus, exercitui Britannico præfectus, Auguſtus eſt ſalutatus anno CCCLXXXII. Qui cum exercitu in Gallias inuectus, apud Treuiros ſedem Imperij conſtituit, Gratiano à ſuis deſerto, ac dolo apud Lugdunum VIII Kalend. Septemb. anno CCCLXXXIII perempto. Expendunt hanc tyrannidem *Maximi* S. Auguſtinus lib. 5 de Ciuitate Dei cap. 25, S. Ambroſius

brosius epistolâ 27 ad Valentinianum iuniorem, Gratiani fratrem, à quo ad Maximum legatus fuerat. Latinus Pacatus in Panegyrico, quem posteà Theodosio victori recitauit, Galliarum miserias depingit. Sub hæc tempora S. SERVATIVS Traiectensis ciuitatis non iam hospes, sed Ciuis, Paterque ciuium, euocatus in cælum est XIII *Maij*, *Feriâ secundâ Pentecostes, anno Christi* CCCLXXXIV, sicut se *in Ecclesiæ Traiectensis antiquissimo pittacio legisse* asserit Vendelinus cap. 7 ad legem Salicam.

Quid interim TVNGRIS contigerit, non æquè auctores coæui indicant. *Vrbem amplam & copiosam* fuisse tradit Ammianus lib. 15. Euersam deinde & maximâ parte diminutam constat: quod statim post decessum S. SERVATII euenturum, huic facta reuelatio minabatur. Quâ de caussâ, dum *Romanus miles* (vt S. Ambrosius in dictâ epistolâ scribit) *in se vtrimque prætendit*, & intima Galliæ ingressus, limitem præsidiis destitutum relinquit, Hunnos Alanis mixtos in Germaniam secundam excurrisse, atque inter ceteras Tungrorum vrbem vastasse, cum viris eruditis censemus. Et certè ad fidem huic rei faciendam, multa sunt apud S. Ambrosium, reliquis historicis intacta, anno CCCLXXXIV aut sequenti scripta. Nam ita contra eum, vt ipse scribit, *erupit Maximus, dicens: Quoniam me lusisti, & ille Bauto, qui sibi regnum sub specie pueri vindicare voluit: qui etiam Barbaros mihi immisit, quasi ego non habeam, quos possim adducere, cùm mihi tot millia Barbarorum militent, & annonas à me accipiant. Quòd si ego tunc, quando venisti, non essem retentus, quis mihi obstitisset & virtuti meæ?* Ad hæc leniter interalia respondit Ambrosius: *Quid mirum, si hoc Bauto fecisset, Transrhenanus genere, cùm tu miniteris Imperio Romano Barbarorum auxilia & turmas transalpinas, quibus commeatus prouincialium tributa soluebant? Vide autem quid in-*

terſit inter tuas minitationes & Valentiniani Auguſti pueri manſuetudinem. Tu flagitabas, quòd Barbarorum ſtipatus agminibus Italiæ te infunderes. Valentinianus HVNNOS *atque Alanos appropinquantes Galliæ, per Alemanniæ terras reflexit. Quid habet inuidiæ, ſi Bauto Barbaros cum Barbaris fecit decernere? Quoniam dum tu militem Romanum occupas, dum is aduersùm te vtrimque prætendit, in medio Romani Imperij ſinu Iuthungi populabantur Rhætias, & ideò aduersùs Iuthũgos* HVNNVS *accitus eſt* &c. Quidni ſimili modo Tungri, dum pro alterâ diſſidentium parte vrbem ſuam obſtinatè tuentur, ab Hunnis euocatis capti vaſtatiqúe credantur? Cuius excidij cauſſa fuerunt ſcelera populi, quæ fuerant migrationis S. SERVATII. Sed alibi locus erit hæc accuratiùs examinandi.

Surrexerunt poſteà vtcumque TVNGRI, & (quod mirum) vbi tam citò fides Chriſtiana fuerat Romanorum temporibus prædicata, adhuc ſub Chriſtianis Francorum Regibus illic Ethnici, iiqúe potentes habitarunt. Eiuſmodi erat *vir nobilis, nomine Sigobardus*, qui *opum vbertate & generis dignitate potentior, omniumq; Auſtralis climatis fortiſſimus, ſecundùm ritum Paganorum in omnibus excreuit in Tungrinâ vrbe inter Orientales*, ſiue Auſtraſios, *populos*: qui cùm ex vxore ſuâ, *Lutfegartâ* nomine, prolem non ſuſciperet, implorato S. CVNIBERTI *Martyris*, qui tum iſtic degebat, patrocinio, genuit filium, HELERIVM, ſiue ELERIVM dictum. *Qui cùm ſeptennis omnium membrorum neruis retractis pallidus paralyticuſq; intabeſceret, miſit eum ad* S. CVNIBERTVM, *cui illum promiſerat*: qui *catechumenum fecit, docuitq; totum Pſalterium legere: & erant in eccleſiâ B. Mariæ Virginis, & Deo ſeruientes à laudibus Diuinis die noctuq; non ceſſabant*: donec aliqui ex *familiâ Sigobardi caput S. Cuniberto amputarunt.* Quem S. HELERIVS *martyrizatum inuenit & in eccleſiâ pro modulo ſuæ fragilitatis Deo commendans ſepeliuit.*

ſepeliuit. *Diſcedens* autem à *patriâ*, perque varia peregrinatus loca, peruenit ad S. MARCVLPHVM *Abbatem* monaſterij *Nanthi*, ab eo ſub *Childeberto* Rege Pariſiorum, filio Chlodouei I, in diœceſi Conſtantienſi extructi: à quo acceptâ *anachorizandi licentiâ*, migrauit *in inſulam Gerſich*; vbi à *Chriſto apparente* edoctus eſt, *ſe tertio pòſt die laureatum ſanguine ex hoc mundo migraturum*. Quod contigit, *VVandalis cum magnâ claſſe inſulam implentibus*; quorum *vnus euaginato gladio caput eius amputauit*. Cuius ſacrum corpus longo pòſt tempore naui per oceanum delatum eſt *ad oppidum, quod vocatur Herenvvardt, vbi fluenta Moſæ, Rheni & VValli conueniunt*. Cuius *rei ſeriem poſtquàm cognouit* S. WILLIBRORDVS *Epiſcopus, corpus in nobili mauſoleo ſepeliuit* XVII *Kalend. Auguſti*: quo die Actaeius integra, è quibus excerpta hæc ſunt, dabimus ex MS. codice Eccleſiæ parochialis S. HELERII in vrbe Rotomagenſi: quo etiam die colitur Frugis in diœceſi Bononienſi prope caſtrum Arteſiæ Renticam, de quo loco actum eſt V Februarij ad Vitam S. Bertulphi, paginâ IↃC-LXXVII. Ad illum etiam diem XVI Iulij referri poterit S. CVNIBERTVS Martyr, cuius alibi in Faſtis ſacris necdum reperimus mentionem. Vitam S. MARCVLPHI Abbatis dabimus I Maij, & S. WILLIBRORDI Epiſcopi VII Nouemb. Eſt autem *Herenvvertum* inſula exigua, paguſque in eâ eiuſdem nominis, inter memoratas anteà Maſelandiam modernam, Maſewaliam, & agros Bommelianum ac Tilenſem: in cuius inſulæ alterâ parte, versùs pagum Roſſemum, extat propugnaculum S. ANDREÆ an. CIↃ IↃXCIX ab Andreâ Cardinale Auſtriaco, tum Belgij pro Rege Catholico Gubernatore, conditum. Et hæc de Tungris, ſiue *vrbe Tungrinâ Gentilium*, cui illud vernaculo, ſermone agnomen potuit adhæſiſſe, ab Sigobardi eiuſque ſimilium vrbis incolarum in paganicis

ganicis erroribus pertinaciâ: ſicuti in *citeriore Principatu*, regni Neapolitani ditione, eſt *Nuceria*, cognomento *Paganica*; quam ita volunt dictam, quia Saracenos iſtic Fredericus II Imperator paſſus ſit commorari. Sed his omiſſis, Traiectum redeamus ad ſucceſſores S. SERVATII: poſt cuius obitum, *Maximus* Imperij inuaſor vixit ad annum CCCLXXXVIII, quo à Theodoſio Imperatore ad Aquileiam ſuperatus occiſuſque eſt V Kalend. Auguſti: ipſeque Theodoſius vitâ functus anno CCCXCV, at quo menſe diſquirimus ad Vitam S. SIGEBERTI paginâ CCXV.

II

Seculo V *Æræ Chriſtianæ Reges Francorum Gentiles. Baptiſmi* CHLODOVEI I *annus*. VIII *Epiſcopi Traiectenſes. Ætas* SS. REMIGII & VEDASTI.

TEmporibus regni Francorum primæ ſtirpis Merouingicæ diſcernendis non fuiſſe adhibitos annos CHRISTI, Pontificum, Imperatorum, Conſulum Romanorum, aut etiam, niſi in aliquibus Conciliis Eccleſiaſticis, Indictionum; ſed ſolis annis Regum inuicem ſuccedentium indicatis, ſolita tum declarari diſcrimina temporum, oſtendimus I Februarij paginâ CCXXVI & ſequenti. Inde huc transferemus breuem Regum epocham, firmioribus fundamentis iſtic ſtabilitam: ſecundùm quam,

FARAMVMDVS regnat a anno CCCCXVII, qui eſt apud Proſperum ante obitum Honorij Imperatoris VI.

CLODIVS, ſeu CLOGIO, anno CCCCXXVIII, poſt Honorij obitum V.

MERO-

MEROVEVS, à quo reliqui Reges *Meroviadæ* & *Merouingi* appellantur, anno CCCCXLVIII, ab obitu Honorij XXV.

CHILDERICVS anno CCCCLV: cui sub finem anni CCCCLXXIX successit

CHLODOVEVS I, qui Siagrium Romano nomine apud Suessiones regnantem anno CCCCLXXXIV occidit; Toringos, vicit anno CCCCLXXXIX, ac tandem Alemannos, inuocato S. CHLOTHILDIS vxoris Deo, domuit anno CCCCXCIV. Pugnam eam contigisse circa Argentoratum, essequé diuersam à velitatione, in quâ prope Tulpiacum *Sigebertum* Regem Colonienſem percussum tradit Gregorius Turonensis. probamus VI Februarij ad Vitam S. VEDASTI Episcopi Atrebatensis. Eodem anno Rex ab eodem VEDASTO fidei Christianæ mysteriis imbutus, & S. REMIGIO Episcopo Remensi eum de fonte sacro suscipiente, per sanctum baptisma renatus est, festo Natiuitatis CHRISTI Redemptoris, vti testatur S. AVITVS Episcopus Viennensis in epistolâ à nobis V Februarij inter huius Acta paginâ IↃCLXII relatâ, quam Regi misit diuino quodam animi ardore exaratam, cùm ipse inuitatus adesse nequiret, degens sub Gundobado Burgundionum Rege, hæresi Arianæ addicto: cuius filium S. SIGISMVNDVM Regem ad orthodoxam Fidem conuertit, & sub eo, Synodo, anno IↃXVII habitæ Epaonæ, tenui nunc in Sabaudiâ super Rhodanum fluuium vico, *Iennâ* dicto, præfuit, ex illustri Auiti Imperatoris familiâ oriundus.

Ætatem S. REMIGII, cum quâ Chronotaxis Episcoporum Traiectensium cohæret, ad Vitam S. VEDASTI, vnà cum huius annis, ordinauimus: diximusque S. REMIGIVM natum esse anno CCCCXXXV, Episcopum Remensem consecratum anno CCCCLVII, vitâ functum anno IↃXXX. Cui successerunt, S. ROMANVS, tum FLAVIVS, qui Synodo Aruernensi

nensi anno IↃXXXV interfuit. dein MAPPINIVS, à quo Protadius Archidiaconus missus est anno IↃXLVII ad Concilium Aurelianense v. At S. VEDASTVS ordinatus est Episcopus Atrebatensis anno circiter IↃ, mortuus IↃXL: cuius corpus anno post obitum eius CXXVIII, Christi IↃCLXVII, Kalendis Octobris translatum est ab sanctis Episcopis AVTBERTO Cameracensi, & AVDOMARO Teruanensi tunc cæco. Et hæc circa Reges Francorum ac varios Episcopos, seculo potissimùm quinto scitu digna sufficiant, vt gradus ad Episcopos Traiectenses firmior constituatur. Fuerunt autem post S. SERVATIVM

II S. AGRICOLAVS, qui traditur restauraſſe tectum sepulchri B. SERVATII, ventorum violentiâ deiectum: eiusque tempore ciues Hoienses ecclesiam B. MARIÆ, ab Hunnis cũ oppido aliquamdiu antè destructam, reædificasse. Mortuum esse circa annum CCCCXX, & Traiecti sepultum diximus v Februarij, die eius natali, paginâ IↃCLIX & sequenti. *Hoium* autem, siue *Huum*, clarum cumprimis oppidum est ad Mosæ Hoiolique confluentes, cuius pars in Hasbanio est, Mosâ interfluente, pars maxima in Condrusio. Donatum posteà oppidum ac Comitatus ab Ottone III Imp. ante annos IↃCL, & quod excurrit, Leodiensi Antistiti est, vt die VIII Februarij ad S. MENGOLDI Comitis Hoiensis Vitam ostendimus.

III S. VRSICINVS Ep. Traiectensis, creditur Kalendis Octobris decessisse, ad eum diem quibusdam Martyrologiis inscriptus: quo anno, non constat.

IV S. DESIGNATVS, Ep. Traiectensis, colitur Idibus Ianuarij, vt ad eam diem diximus. In Florario MS. Sanctorum memoratur *suscitasse tres mortuos milites, qui suas possessiones Ecclesiæ dederunt.* Solúmne ex Ioannis Placentij catalogo

id hauſerit Florarij auctor, an vterque ex antiquioribus Chronicis, nos latet.

V S. RESIGNATVS, Epiſc. Traiectenſis, Fiſeno RENATVS, in eodem Florario aliiſque Martyrologiis, Kalendis Decembris refertur.

VI S. SVLPITIVS, Epiſc. Traiectenſis, Fiſeno & aliis quibuſdam SVPPLICIVS, inſcriptus Martyrologiis legitur variis diebus, XVII & XVIII Ianuarij, (quo eum cum pluribus auctoribus retulimus) IX Februarij & XV Auguſti; quibus diebus ſacrarum eius Reliquiarũ aliqua Trãſlatio peracta traditur.

VII S. QVIRILLVS, Epiſc. Traiectenſis, deceſſit pridie Kalendas Maij.

VIII S. EVCHERIVS, Epiſc. Traiectenſis, qui, teſte Sauſſaio in Martyrologio Gallicano, B. QVIRILLI *Sedem ſortitus, fidem quoque & caritatem ſtrenuè imitatus, breui præſulatu magna rei ſacræ incrementa edidit, epiſcopaliq; ſanctitate & paſtorali virtute gloriosè perfunctus, feliciter obdormiuit in Domino* X *Kalendas Martij*. Quod elogium in quemlibet ferè ſanctum Epiſcopum quadrare poteſt.

IX S. FALCO, Epiſc. Traiectenſis, qui eodem XX Februarij colitur, ad ſequentem diem alibi relatus, & FALCODEVS dictus, alibi FVLCO. Ab hoc vicinum Traiecto oppidum, ac Ducatui Limburgenſi annexum, coniectant quidam *Falconis-montem*, ſiue *Falco-burgum* dictum: quamuis alij exiſtiment Romanorum *Coriouallum* eſſe, indeq; nuncupari, abiiciendo (vt in plurimis ſolet) priorem nominis partem, ad poſteriorem *burgum* addendo, vt fiat *Vallenburgum*, inde *Valkenburgum*. Hic ille FALCO eſt, quẽ diximus à S. REMIGIO acri epiſtolâ reprehenſum, quòd Presbyteros alioſque miniſtros Eccleſiæ Moſomenſi præfeciſſet, & quidem *in Epiſcopatus exordio, priſcorum magnificorumq; Pontificum decreta*

calcans. Quod S. FALCONEM ſtudio Diuini honoris curandæque ſalutis animarum impulſum, arbitramur feciſſe, ignorantem ad Remenſem Epiſcopatum pertinuiſſe; cùm vicina ſui Epiſcopatus loca, in magnâ Diuinarum rerum ignorantiâ eſſe comperiſſet. Nam ſic deſcribit Alcuinus in Vitâ S. VEDASTI cap. 3 templi antiqui apud Atrebatenſes horridum veſtigium: *vbi* ſcilicet *quondam pſallentium chori, ibi luſtra & latibula ferarum, ſtercoribus & immunditiis plena fuiſſe, viſa à* S. VEDASTO, *intimo cordis dolore ingemiſcente*: quæ eadem de Moſomo aliiſque vrbibus opinamur cogitari poſſe. Hæc porrò ſimultas inter SS. REMIGIVM & FALCONEM exorta eſt ſub finem ſeculi quinti, quo tempore S. REMIGIVS, adminiſtrato XL annos Epiſcopatu Remenſi, alterum, vt iam diximus, caſtigauit audaciorem *in exordio Epiſcopatus*: qui nobis idoneus character eſt, quo annos centum & decem, à morte S. SERVATII ad Baptiſmum CHLODOVEI elapſos, in proximè enumeratos Epiſcopos ſortiamur, exploſo ſenſu eorum, qui hiatum CXIV annorum excogitarunt.

Colitur VII Iunij S. CANDIDVS Epiſcopus, quem ferunt aliunde aduenisſe Traiectum, ad venerandas S. SERVATII reliquias, ibique epiſcopalia aliquamdiu munia exercuiſſe, & diem extremum obiiſſe: quod variis occaſionibus poteſt contigiſſe, Epiſcopo aut ad Sedem Apoſtolicam profecto, aut aliquam gerente legationem, aut morbo longiore impedito, aut etiam mortuo, ac Sede vacante, dum alius legitimâ electione ſubſtitueretur.

III

Christi VI *seculo Reges Francorum in regno quadrifariam diuiso. Conciliorum tum in Gallia habitorum Chronologia. V Episcopi Traiectenses.*

DEsierat iam pridem in Occidente Romanum Imperium, sub variis Regibus scissum, aut Arianâ hæresi infectis, aut ab Fide Christianâ alienis. Regnabat in Italiâ Theodericus Ostrogothus, in Aquitaniâ, Narbonensi Galliâ atque Hispaniâ Alaricus Westrogothus, ad Rhodanum fluuiũ atq; in vicinis prouinciis Gundobadus Burgundio, omnes sectâ Ariani, vti & qui in Africâ Vandali: in Germaniâ & Britanniâ prævalebant potentiâ Pagani: quando CHLODOVEO I Rege Fidem Christianam amplexo, cœpit religio orthodoxa Diuino lumine gentes Francorum latè per Galliam sparsas collustrare. Nec defuerunt Chlodoueo à S. AVITO sanctâ vaticinatione ad promissæ victoriæ. Gothi occiso Alarico Rege pulsi anno IↃVII, Aquitania subacta. *Consul* ipse & *Augustus* ab Anastasio Imperatore, plenâ honoris & dignitatis nomenclatione, anno IↃVIII appellatus, Parisiis sedem regni constituit: deinde Rege *Sigeberto Claudo*, filioque *Chloderico*, fraude eius interfectis, Coloniam profectus regnum *Francorum Ripuariorum* occupauit. Interfectis posteà *Charaico*, *Ragnachario*, aliisque Regibus, per Gallias regnum firmauit, mortuus Parisiis XXVII Nouembris anno Christi IↃIX, cùm lapsi essent *ab obitu* S. MARTINI *anni* CXII, ipse XXX *regnasset*: quam epocham ex annis regni filiorum stabilimus. LEGEM SALICAM locis prope Demeram fluuium sitis conscriptam,

scriptam, atque à CHLODOVEO post susceptum baptismum emendatam, à Ligeri fluuio vsque ad Rhenum obseruatam fuisse; at Legem Romanam Theodosij, permissam Aquitanis post necem Alarici, *Romanis* ideò dictis, affirmamus 1 Frebuarij paginâ CCXII.

THEODERICVS, CHLODOMERES, CHILDEBERTVS, & CHLOTHARIVS fratres, Chlodoueo I patri XXVII Nouembris anno IↃIX vitâ functo, regnum, vt ab eo distributum, capessiuerunt. Ex his primus obiit, à Rege Burgundionum Godemaro interfectus, CHLODOMERES Rex Aurelianensis, relicto S. CHLODOVALDO filio, posteà in Clericum attonso: cui dies VII Septembris sacer est.

THEODERICVS I Rex Metensis, siue Austrasiorum, in cuius regno fuit diœcesis Traiectensis, Leges dedit *Francis Ripuariis*, *Alamannis* & *Baioariis*, & fortè etiam *Thuringis* à se debellatis, quibus immisti degebant *Angli* & *Varini*, quorum Principibus illius nuptæ filiæ sunt. Ipse cum XXIV annis regnum tenuisset, mortuus est sub finem anni IↃXXXIII, aut initium sequentis, quo filius THEODEBERTVS I çum patruis Childeberto & Chlothario Burgundiam obtinuit, fugato Godomaro Rege. THEODEBERTO I anno IↃXLVIII mortuo, successit filius THEODEBALDVS, anno dein IↃLV absque hærede extinctus.

Tertius Chlodouei filius CHILDEBERTVS Rex Parisiorum, sub quo suprà S. HELERIVM Tungrensem in eius regno vixisse diximus, mortuus est anno IↃLVIII, cuius diploma extat pro basilicâ S. Vincentij Martyris, datum anno regni XLVIII, die VI Decembris, Christi IↃLVII.

Quartus demum filiorum Chlodouei CHLOTHARIVS, Rex primùm Suessionensis, dein Francorum monarchiam adeptus anno regni LII, Christi IↃLXI è vitâ migrauit.

CHARIBERTVS, SIGEBERTVS I, CHILPERICVS, S. GVNTRAMNVS, Chlothario nati, regnum itidem quadrifariàm diuisum inierunt IↃLXI Christi anno, quem eorum regni primum statuit Fredegarius, Gregorius Turon. sequentem, siue IↃLXII. Horum primus decessit CHARIBERTVS Rex Parisiorum, circa annum IↃLXX, regnumque inter se partiti sunt fratres. SIGEBERTVS I Rex Austrasiorum interemptus est anno IↃLXXV. Ei filius CHILDEBERTVS sub tutelâ Brunechildis matris successit die Dominici Natalis: à quâ solennitate tum ferè annum sequentem auspicabantur. Stabilimus chronologiam sequentium annorum tum Regum inter se, tum cum annis Christi collatorum, ex Feriis hebdomadæ, cyclo Paschali, ecclipsibus Lunæ & solis, quæ paginâ CCXVIII & sequenti proferuntur. CHILPERICVS Rex Suessionensis anno IↃLXXXIV interfectus, successorem reliquit CHLOTHARIVM II filium, quatuor tantummodò menses natum. S. GVNTHRAMNVS Rex Burgundiæ, quartus Chlotharij filiorum, mortuus est anno IↃXCIII, V Kalendas Aprilis, die eius venerationi dein sacrato. Huius regnum Burgundicum accepit Rex Austrasiorum CHILDEBERTVS, anno dein IↃXCVI extinctus, relictis duobus filiis, THEODERICO II & THEODEBERTO II, quorum ille Rex factus est Burgundiæ, hic Austrasiorum: quibuscum Rex Suessionum CHOTHARIVS II ad seculũ Christi VII, vt infrà dicetur, vixit.

Quæ sub dictis Regibus seculo VI in Galliâ habita Concilia sunt, iuxta indicatam chronotaxim ita ferè ordinauimus paginâ CCXXVII. Aurelianense I celebratum est anno IↃVIII, aut sequente, non *Felice Consule*, quem Consulatum, nuper appositum, reiecimus paginâ CCXVIII. Aurelianense II habitum est *anno Childeberti Regis* XXII, Christi IↃXXXI. Aurelianensi III passim adscribitur *annus* eiusdem *Childeberti* XXVI

aut

aut XXVII Christi IↃXXXV aut IↃXXXVI & nos alterutro habitum arbitramur. De Aurelianensi IV, ob annum Childeberti Regis omissum, nihil certi statui potest: an ex vnico Pithœi codice MS. *Indictio* IV *Basilio V.CL. Consule* rectè legatur, ex Episcoporum subscriptione discuti posset. Aurelianense V habitum legitur *anno Childeberti* XXXVIII, is est annus IↃXLVII. Arelatense V habitum est *anno Childeberti* XLIII, Christi IↃLII. Lugdunense II *anno Gunthramni Regis* VI, Christi IↃLXVI: quo etiam *anno* sub *Chariberto* habitum est Turonense II. At Parisiense IV coactum III *Nonas Septembris anni Chilperici*, XII, *Indictione* VI, quæ anno Christi IↃLXXII à Kalendis Septembris inceperat. Matisconense I celebratum *Kalend. Nouemb. anno Gunthramni* XXI *Indictione* XV, quæ conueniunt in annum Christi IↃLXXXI. Concilium Valentinum II refertur *anno Gunthramni* XXIV, *Indictione* II, X *Kalend. Iunij*, annus is est IↃLXXXIV. In quibus omnibus Æram Fredegarij secuti sumus.

Floruerunt sexto hoc Christi seculo Episcopi Traiectēses,

IX S. FALCO, cuius Episcopatus exordia retulimus ex S. REMIGII epistolâ, sub finem seculi præcedentis, quem arbitramur vsque ad regnum THEODERICI I sedisse.

X S. EVCHARIVS, Episcopus Traiectēsis, qui, vt de eo prædicat Ægidius, *sanctè & iustè viuendo studuit omni die offerre holocaustum Domino, bonæ gratiæ baiulator nomine, æmulator operatione. Hic creditur inter choros suorum Consacerdotum & Confessorum ab Angelis coronatus esse* III *Kalend. Martij.*

XI S. DOMITIANVS Episc. Traiectensis. Hic subscripsit Concilio Aruernensi sub Theodeberto I Rege Austrasiorum anno IↃXXXV, & Aurelianensi V anno IↃXLVII. Hoium oppidum huius singulari studio excultum est, eiusque Reliquiarum cælesti præsidio gloriatur, ac solenni pompâ anniuersarias

uersarias eius ferias peragit VII Maij: quo die illius Acta dabimus ex MS. monasterij Rubeæ-Vallis prope Bruxellam, & Historiam miraculorum ex MS. Hoiensi. Aliqua attigimus VIII Febtuarij, cùm de Translatione corporis S. MENGOLDI Comitis Hoiensis ageremus. Et qui hactenùs sederunt Episcopi Traiecti, nominibus Romanis appellati sunt, Francis, quippe Neophytis, ad illa munia Episcopalia nec-dum passim admissis.

XII S. MONVLPHVS, qui eximium suæ erga S. SERVATIVM pietatis monumentum statuit. Nam teste S. Gregorio Turonensi de Gloriâ Confessorum cap. 72, *Circa huius sepulchrum quamuis nix defluxisset, nnmquàm tamen marmor, quod super erat positum, humectabat: & cùm loca illa nimij frigoris gelu ligentur, & nix vsque in trium & quatuor pedum crassitudinem terram operiat, tumulum vllatenùs non attingit. . . . Nam plerumque deuotio studiumq; fidelium, oratorium construebant de tabulis ligneis leuigatisq;; sed protinùs aut rapiebantur à vento, aut sponte ruebant. Et credo idcircò ista fieri, donec veniret, qui dignam ædificaret fabricam in honorem Antistitis glorioſi. Procedente verò tempore aduenies in hanc vrbem* MONVLFVS *Episcopus, templum maximum in eius honorem constituit, composuit, ornauitq;: in quod multo studio & veneratione translatum corpus magnis nunc virtutibus pollet.* Ita Gregorius, quicum *Monulpho* eiusque successore vixit, & quidem sub eodem Rege Austrasiorum, cuius imperio subiecti erant, post mortem Chariberti Regis Parisiorum, Turones, Pictones viciniique populi.

XIII S. GONDVLPHVS, cuius virtus maximè enituit in nouis vbique per diœcesim erigendis dedicandisque ecclesiis. Sepultus est iuxta S. MONVLPHVM decessorem, in medio ecclesiæ S. SERVATII, & eodem quo ille colitur die, XVI Iulij. Qui huic successit S. PERPETVVS, seculo sequente potissimùm floruit, vt mox dicetur.

IV

Priore VII *ſæculi parte Reges Francorum Auſtraſiorum & Neuſtraſiorum: horum origo & limites. Sub illis* IV *Epiſcopi Traiectenſes.*

IMperabant ſub initium ſeptimi à Chriſti exortu ſeculi antè memorati Reges, CHLOTHARIVS II, filius Chilperici, apud Sueſſiones; THEODERICVS III apud Burgundos, apud Auſtraſios huius frater THEODEBERTVS II, qui prælio à fratre victus, regnum primùm, dein vitam amiſit anno Chriſti IↃCXII, ſed & Theodericus anno ſequenie IↃCXIII profluuio ventris Metis mortuus eſt. Cuius filiis, SIGEBERTO II aliiſque, & auiâ Brunechilde, occiſis, CHLOTHARIVS II, anno regni paterni XXX, Burgundiæ Auſtraſiæque ſibi regnum vindicauit: & anno IↃCXXII DAGOBERTVM filium Auſtraſiorum parti Regem præfecit: dein anno IↃCXXV integrum ei regnum contulit, cùm is Gomatrudem duxiſſet: reliquam Galliam adiecit moriens anno IↃCXXVIII, demptâ interiore Aquitaniâ, alteri filio CHARIBERTO attributâ: quo tamen, eiuſque filio CHILPERICO, anno IↃCXXXVI exſtinctis, DAGOBERTVS integram Francorum monarchiam adeptus eſt. Maior in annis filiorum ac nepotum eius controuerſia eſt, paucis à nobis decidenda.

S. SIGEBERTVS matre Ragnetrude natus eſt anno IↃXXXV, & Rex Auſtraſiorum à patre conſtitutus anno IↃCXXXVIII. At Nanthilde natus matre anno IↃCXXXIX CHLODOVEVS II, patri Dagoberto, XIV Kalend. Febr. IↃCXLIV vitâ functo, in regno Neuſtraſiorum & Burgundionum ſucceſſit: poſt an-

nos regni XVIII, mortuus anno IↃCLXII. Cui ſuperſtes S. SIGEBERTVS, obiit anno IↃCLXIII, Kalendis Februarij: quo die ad eius Vitam, hanc Chronologiam ordinauimus, in Commentario præuio, paragraphis ſiue ſectionibus XIII deductam: vbi § II & III exponimus nominis AVSTRASIORVM & NEVSTRASIORVM originẽ, ac ditiones S. SIGEBERTI apud Auſtraſios. Orientale & Occidentale Francorum regna Teutonicis ſiue Francicis vocibus *Ooſter-rych* & *VVeſter-rych* efferri: vnde *Auſter regnum*, *Auſtria* & *Auſtraſia*, ſicut & *VVeſter-regnum*, *VVeſtria* & *VVeſtraſia* formatur. Ita olim celebre fuit *VVeſter-rych* ad Saram fluuium, omnium prouinciarum, in quibus vſus veteris Francicæ linguæ, ſiue Teutonicæ aut Germanicæ, viget, maximè occidentalis: cuius extat etiamnum veſtigium in Ducatu Bipontino, Comitatu Biſchio ad fines Alſatiæ, lociſque conterminis. Huius ſimiliſve Weſter-richiæ reſpectu, Francia Occidentalis in hac diuiſione *Noua-vveſtria* appellata eſt, & inde *Neuſtria* contractum. Ita Annales Metenſes ad annum IↃCLXXXVIII *Francos occidentales Nu-uiſtrios* à ſuis *dici*, *Orientales* verò *Francos Oſterluide vocari* teſtantur: *Luyden*, *luiden*, ſiue *leuden*, Teutonica vox, populum ſignificat.

Fuerunt autem in diuiſione regnorum S. SIGEBERTI & CLODOVEI fratrum, ſub *Auſtraſiis* in Belgicâ II *Remenſes*, *Catalaunenſes*, *Laudunenſes*, *Cameracenſes*, *cum Neruiis* aliiſque ſuprà indicatis populis ad *Oeſiam* vſque & *Scaldim* fluuios: atque omnes prorſus populi *Belgicæ* I, vbi ſub metropoli Treuirenſi eſt vrbs *Metenſis*, omnium Regum ſedes: omnes item *Germaniæ* I & *Germaniæ* II, vbi ſub metropoli Colonienſi latè diſperſa erat Diœceſis Traiectenſis. Parebant etiam Auſtraſiorum Regi trans Rhenum *Franci antiqui*, inter fluuios Lippiam & Neccarim, ſiue Saxones & Alemannos, conſtituti:

tum

tum exteri *Thuringi*, *Alexanni*, *Baioarij*. Prætereà in interiore Galliâ populi meridionales Aquitaniæ I, *Aruerni*, *Albigenſes*, *Ruteni*, *Gabali*, *Vcecij*, *Areſitenſes*, *Vabrenſes*, & ſerùs adiuncti *Cadurci*, fortè etiam *Albenſes* & *Velauni*. Denique poſtquàm Rhodanum inter & Alpes, Romanorum olim Prouincia dicta, à Theodato Gothorum Rege promiſſa, ab huius ſucceſſore Vitige circa annum IↃXXXV donata fuit Regibus Francorum, *Childeberto* Pariſienſium, *Theodeberto* I Auſtraſiorum, & *Chlothario* I Sueſſionum, acceſſit Auſtraſiorum regno *pars Alemanniæ* & *Maſſilienſis vrbs*, parſque eius prouinciæ.

Aliæ aliquamdiu Auſtraſiis ſubiectæ, pòſt Neuſtriis reditæ fuerunt ditiones, vti *Biturigum*, *Lemouicum*, & *Lingonum*, interempto *Chlodomere* Rege Aurelianenſi: & poſt ſecundam regnorum diuiſionem, mortuo *Chariberto* Rege Pariſiorum, hi populi, *Turones*, *Pictones*, *Abrincatui*, *Meldæ*, *Silua-nectes*, *Conſorani*, *Vico-Iulienſes* & *Lapurdenſes*; ita relati apud Gregor. Turonenſem, lib. 9 cap. 20, qui pactioni fœderis interfuit anno IↃLXXXVIII. Demum aliâ occaſione à regno Sueſſionum ad Auſtraſios tranſlatus *Ducatus Dentelini*, cuius pagi XXVIII ad dexterum latus *Sequanæ* aſſignantur in præcepto *Ludouici Pij* Imperatoris de Diuiſione regni inter filios. Habuit autem ſub nomine *Neuſtraſiorum* CHLODOVEVS II, regna *Pariſienſe* & *Sueſſionenſe*, tum etiam *Aurelianenſe*, quod ferè ſub nomine *Burgundionum*, (regnum vtrumque S. GVNTHRAMNVS habuerat) cenſebatur: cui *regno Chlodouei* erat *regnum Sigeberti de populo & de ſpatio terræ coæquans*, vti *Fredegarius* tradit auctor αὐγάρου, qui ſcripſit Chronicon vſque ad caput XC, dein poſt hiatum miſerè ſuppletum, alio ſtylo continuatum iuſſu Childebrandi & Nibelungi, vt pluribus demonſtramus paginâ CCXIV.

Præfuerunt ſub enumeratis Regibus Sedi Traiectenſi ſequentes Epiſcopi: Mortuo, vt aliqui cenſent, ſub annum IOCIV GONDVLPHO ſucceſſit

XIV S. PERPETVVS, Dionanti, ad Moſam ſupra Namurcum ſitæ vrbis, Patronus; qui illic S. VINCENTIO Martyri creditur templum erexiſſe, aut à maioribus erectum, pro ſuâ in eum religione, frequentaſſe: in quâ etiam æde à morte ſepultus, inde poſteà ad maiorem baſilicam DEIPARÆ VIRGINI ſacram tranſlatus. Eſt autem nunc S. VINCENTII ædes intra ſepta collegij Societatis IESV. Colitur S. PERPETVVS IV Nouembris. De Dionanto egimus III Februarij ad Vitam S. HADELINI.

XV S. EVERGISVS, ſiue EBREGISVS, Epiſcopus Traiectenſis, colitur XXVIII Martij. Hunc & S. EVERGISLVM Epiſcopum Colonienſem nonnulli, nominis ſimilitudine decepti, vnum eumdemque cenſent. Eſt S. EVERGISLVS Tungris tempore S. SERVATII natus, at S. SEVERINVM Epiſcopũ Coloniã ſecutus, ab eoq; ſacris initiatus, cũ illo audiuit S. MARTINI euntis in cælos triumphum. Illo dein Burdegalæ defuncto, creatus & ipſe Epiſcopus Colonienſis eſt; at quãdiu ſederit non conſtat. Cùm Tungros aliquando veniſſet, qui poſt ſtragẽ, quam Barbari fecerant, denuò coaluerant, ciues ſolaturus, atque ad veri cultũ Numinis idoneis præceptionibus informaturus, à nefariis hominibus ibidem occiſus XXIV Octobris, martyrij palmam obtinuit, CLXX minimùm annis ante S. EVERGISVM Epiſcopum Traiectenſem. Vtriuſque corpus S. BRVNO Epiſcopus Colonienſis, frater Ottonis I Imp. Coloniam aſportaſſe dicitur; illud Tungris, S. EVERGISI è Trumoniâ villâ, vbi fuerat tumulatus, teſte Harigero cap. 32.

XVI S. IOANNES AGNVS, vir *pius & locuples*, teſte Harigero cap. 29. *ab agriculturâ, regiis præceptis ad Epiſcopatum rapitur, re-*

gnum

gnum Austriasiorum administrante Dagoberto adolescente, id est, ante annum IↃCXXV, quando necdum ductâ vxore, Austrasiam tantùm septentrionalem, in quâ Traiectum, regebat. At B. IOANNES (addit Harigerus) *cursum vitæ præsentis explens, in bonâ senectute vitâ decessit*, anno IↃCXLVI, die XXV Iulij: à quo præcocia quædam poma, quæ circa illud tempus in hisce prouinciis matureſcunt, S. IOANNIS poma appellantur, vti apud Molanum ex veteri MS. traditur.

XVII S. AMANDVS, antè ad prædicandum verbum Dei Episcopus consecratus, à Rege & Sacerdotibus coactus, triennio solùm, quod annis Christi IↃCXLVII & duobus sequentibus terminamus, Traiectensem Ecclesiam rexit. Hûius Acta damus VI Februarij, quæ dum accuratè excutimus, vnà inquisiuimus quid de Sede Traiectensi antiquiores Scriptores senserint, atque à quibus illa Diœcesis populis olim fuerit habitata. Lubet hîc summatim significare, quæ de eo iam prælo parata habemus, in duas partes distributa; quarum altera Varia Acta & Historias Translationum ac Miraculorum complectitur, altera Commentarium præuium XXII §§ distinctum, hoc ordine.

V

Breuiarium Commentarij nostri præuij ad Acta S. AMANDI. Huius multiplex vitæ Historia, & Translationum ac Miraculorum, quæ ad VI *Februarij propediem edentur. Chronologia stabilita.*

I § Solum natale S. AMANDI in Aquitaniæ II parte maritimâ, pago, seu Comitatu, Herbadilico. Vita monastica in

insulâ Ogiâ, siue Oyem, prope Rupellam. Vascones idololatræ in Aquitaniâ III cælestia ab eo edocti. Monasterium Nantense in Aquitaniâ I instructum. an etiam Vaurense? S. AMANDVS Episcopus Burdegalensis, S. AMANTIVS Episcopus Rutenẽsis, & S. ELANVS, siue ALANVS, Episcopus, Ecclesiæ Cathedralis Vaurensis Patronus, & S. AMANDVS Traiectensis, Scriptorum quorumdam incuriâ haud satis seiuncti.

§ II Biturigibus, Aurelianis, Parisiis, Clypiaci, Resbaci, Metis acta à S. AMANDO. Barisiacum monasterio condendo impetratũ à Childerico Rege puerulo, & Imnechilde Reginâ, viduâ S. SIGEBERTI. An monasterium in agro Borbonio conditum? Vrbs illic S. AMANDI: monasterium Rotomagi & Prioratus apud Bellouacos.

§ III Elnonense in Belgio monasterium, nunc Amandopolis, in antiquâ Menapiorum ditione, sub Regibus Austrasiorum, dein Francorum occiduorum. Diplomata Dagoberti Regis & S. MARTINI Papæ.

§ IV Instituti Fidei doctrinâ populi, ad Scarpum, Legiam, Scaldim, fluuios: Flandri item, Calloani, Antuerpienses. Monasteria operâ, consilio aut imitatione S. AMANDI extructa, Marchianense, Hamaticense, Hasnonense, Cortracense, Thorholtanum, Ardenburgense, Quercolodora in pago Turnino prope Antuerpiam: in hac vrbe *constructa ecclesia ad honorem SS Petri & Pauli*, nunc, vt creditur, S. Walburgis, cuius Vitam illustramus ad diem XXV. Februarij.

§ V Gandenses ololatræ ad fidem Christi conuersi, tria à S. AMANDO ibi extructa monasteria; I S. PETRI *& omnium Apostolorum*, posteà S. BAVONIS dictum, in *pago Brachantensi* situm, à S. GERARDO Bronensi restauratum, destructum anno CIↃ IↃXL ob arcem istic erigendam. II Blandinium, dicatum SS. PETRO & PAVLO: diploma S. MARTINI Papæ, huic con-

concessum. III S. MARIÆ in Mempisco, nunc Trunchinium.

§ VI Diœcesis Cameracensis exculta in Bracbanto antiquo & Hannoio. Basseroda S. AMANDI ad Scaldim. Monasteria Rotnacense & Lutosanum ab eo condita, vti eius consilio Forestanum à S. ALENA, Sogniacense & Altimontense à S. VINCENTIO, marito S. WALDETRVDIS, ab hac Montense Castriloci, Malbodiense à S. ALDEGVNDE, Cellense à S. GISLENO, Maricolense à S. HVMBERTO. An etiam quatuor à S. LANDELINO eius consilio extructa? Quid præstitum Vedastino? Mareoli in Artesiâ monasterium, ecclesia & curia S. AMANDI.

§ VII & VIII Traiectensis S. AMANDI Episcopatus, Diœcesis latè patens, Sedes ei vrbi vindicata: quæ hoc tractatu repetuntur. In eâ Diœcesi ab illo ad pietatem eruditi SS. PIPINVS & BAVO: consecratum monasterium Niuellense & oratorium Gertrudi-Bergis: extructum Monasterium, vulgò nunc *Monstier*, ad Sabim: an etiam eius consilio opéve Meldarienſe, Calfmontanum & Fossense? Ecclesia Girbertzrodensis illi dicata prope Marcodurum in Ducatu Iuliacensi.

§ IX Apud Argentoratenses S. AMANDVS senior Episcopus anno CCCXLVI. Eius & successorum istic Reliquiæ. S. AMANDVS Traiectensis à Dagoberto eò missus. S. ARBOGASTVM Episcopum consecrat; cui S. FLORENTIVS succesſit. Apud Wormatienses S. SERVATIVS à S. AMANDO seniore hospitio exceptus: ibidem templum & Reliquiæ S. AMANDI. Quid istic ac Spiræ actum tempore Dagoberti à S. AMANDO Traiectensi? Sclauis in Carinthiâ prædicatum Euangelium: de quibus actum v Februarij in Vitâ *S. Domitiani* Ducis Carinthiæ paginâ IↃCXCVII. Hactenùs de regionibus, labore S. AMANDI excultis. Deinceps Chronologia nostra, vitæque illius decursus exponetur.

§ X Na-

§ x Nascitur S. AMANDVS circa annum IↃXCIV, degit adolescens in Ogiâ insulâ. Cùm obiissent hoc ordine Episcopi Bituricenses, S. SVLPITIVS SEVERVS anno IↃXCI, S. EVSTACHIVS an. IↃCII, & S. APOLLINARIS an. IↃCXI mense Octobri; succedit S. AVSTREGISILVS: hunc adit S. AMANDVS circa an. IↃCXII: illic cellæ inclusus degit XV annis vsque ad annum IↃCXXVII. Dein Romam abit: reuersus consecratur Episcopus XXVI Octobris circa annum IↃCXXVIII: Euangelium Gentilibus annuntiat. Romam secundò adit anno IↃCXXX. Gandaui prædicat, Tornaci mortuum suscitat, monasteria construit annis duobus sequentibus: Slauos adit circa an. IↃCXXXIII. Incontinentiâ Dagoberti culpatâ, in exilium eijcitur an. IↃCXXXIV. S. SIGEBERTVM filium Regis Dagoberti baptizat anno IↃCXXXV. Præcedentium annorum calculus firmatur.

§ XI Gandaui inchoata monasteria, octo annos regit ab anno IↃCXXXVI. Intereà Elnonense extruit anno regni *Dagoberti* XI, Christi IↃCXXXVIII. S. CLOTSENDIM, filiam SS. ADALBALDI & RICTRVDIS, de sacro fonte suscipit anno IↃCXL: sequentibus fortè annis populos ad Rhenum iussu Dagoberti inuisit, & Episcopos dedit Argentinensibus, Wormatiensibus, Spirensibus. Chlodoueo II & S. SIGEBERTO regnantibus S. FLORBERTVM constituit Abbatē Gandensem an. IↃCXLIV. Monasterium Marchianense extruit anno sequente. At S. IOANNI AGNO Episcopo Traiectensi anno IↃCXLVI, die XXV Iulij, mortuo, à Rege & Sacerdotibus coactus substituitur Episcopus: consecrat monasterium Niuellense, rogatus à S. ITTA, siue IDVBERGA, viduâ S. PIPINI Ducis anno IↃCXLVI defuncti: S. BAVONEM instruit; Ionato Marchianensium, Vrso Elnonensium constitutis Abbatibus. A S. MARTINO Papâ, anno IↃCXLVII electo, petit liberari ab Episcopatu Traie-

Traiectensi anno IↃCXLIX. Aliorum Chronologici Errores refutati.

§ XII S. AMANDVS relicto Traiecto inuisit S. GISLENVM: præficit Ionatum Elnonensibus: assumptis Nicasio Elnonensi, & S. HVMBERTO Abbate Maricolensi proficiscitur Romam anno IↃCL. Diplomata à S. MARTINO Papâ impetrat anno IↃCLI mense Ianuario. Româ secum adducit SS. LANDOALDVM & AMANTIVM aliosque messis Euangelicæ adiutores. Intereà ei in Episcopatum successerat S. REMACLVS, vt infrà dicetur.

§ XIII S. AMANDVS Româ reuersus anno IↃCLI, S. BAVONEM Clericum ordinat: S. ADALBALDO anno IↃCLII occiso, S. RICTRVDI eius viduæ & tribus filiabus, SS. EVSEBIÆ, CLOTSENDI & ADELSENDI, vitam monasticam suadet: oratorium S. GISLENI consecrat: S. VINCENTIVM ad institutum monasticum inducit; imitante maritum S. WALDETRVDE: laborat in Diœcesi Cameracensi & Tornacensi. Anno IↃCLV S. BAVONEM includit, atque eumdem anno IↃCLVII mortuum sepelit, mittente impendenda funeri linteamina S. GERTRVDE eius consobrinâ, natâ anno IↃCXXXI, ac posteà mortuâ an. IↃCLXIV XVII Martij. Post obitum S. BAVONIS venit Gandauum S. LIVINVS, martyrio coronatus anno IↃCLIX pridie Idus Nouembris. S. AMANDVS triennio post obitum S. Bauonis, anno, vt consequens est, IↃCLX, dedicat ecclesiam à se Antuerpiæ conditam: varia dein monasteria extruit: sacrum velum S. ALDEGVNDI confert. Sub Chlothario III Neustrasiorum, & Childerico Austrasiorum Regibus, mortuo an. IↃCLXIV S. FLORBERTO, Abbates statuit Gandaui, Aldebertum monasterij S. BAVONIS, Ioannem Blandinienſium. S. ELIGIO anno IↃCLXV vitâ functo creatur Nouiomensis Episcopus. S. MOMMOLENVS, qui

cum dictis Abbatibus testamento S. AMANDI subscripsit.

§ XIV S. AMANDVS Vascones instituit circa annum IↃCLXV. monastèrium extruit in confiniis Aquitaniæ & Franciæ; fortè in agro Borbonio: aliud apud Rutenos, Nanto dictum: aliud Barisiacian. IↃCLXVI. An adfuerit translationi S. VEDASTI factæ anno IↃCLXVII Kalendis Octobris? Elnone residet senio grauatus: S. MAVRONTVM Clericum ordinat. S. AVBERTO Episcopo Cameracensi anno IↃCLXXV die XIII Decemb. virâ functo subrogatur anno sequente S. VINDICIANVS: at S. NIVARDO Episcopo Remensi mortuo anno IↃCLXXVIII Kalendis Septembris, S. REOLVS: qui ambo Episcopi testamento S. AMANDI etiam subscripserunt. Adiuncta de Episcopis Traiectensibus, SS. THEODARDO, LAMBERTO & HVBERTO infrà referentur.

§ XV S. AMANDVS consecrat templum Elnonense & facit testamentum *anno* II *Theoderici*, Christi IↃCLXXXII; Baudemundum Abbatem Blandinienſium designat, B. ANDREAM Elnonensium anno IↃCLXXXIII, quo Ioannes Abbas Blandinienſium obierat *Nonis Martiis*. Moritur tandem S. AMANDVS nonagenarius anno IↃCLXXXIV, die VI Februarij, Sabbato ante Dominicam Septuagesimæ; cuius adhuc viuentis gloriam per visum contemplata anteà fuerat S. Aldegundis. Corpus S. AMANDI transfertur anno IↃCXCVIII. Eleuatur denuò anno IↃCCCIX, ab eius obitu CXXV.

§ XVI Scriptum Elnonense, in quo annus obitus S. AMANDI statuitur IↃCLXI, excussum: in quo plurima temporum discrimina imprudenter ordinata. Dicitur *eisdem cum S. Amando diebus S. Leodegarius diuersis tormentorum pœnis excruciatus Christi Martyr factus*: quod contigit II Octobris anni IↃCLXXXV. Occasio errorum data à Reginone, arrepta à Chronologo Gandensi & Elnonensi.

§ XVII S. AMANDVS inscriptus Martyrologiis ad VI Februarij, aut seorsim, aut cum S. VEDASTO, aut cum reliquis Episcopis Traiectensibus. Memoria Ordinationis, Translationis & Dedicationis ecclesiæ XXVI, aliquibus XXV aut XXVII Octobris; Eleuationis XIX, plerisque XX Septembris; Repositionis XXIII Octobris. Eidem cultus aliquis impenditur (vti scriptum in Martyrologiis) XXIV & XXV Iunij, & Kalendis Octobris. Corpus adseruatur Elnone, siue Amandopoli; variæ alibi Reliquiæ.

§ XVIII Vitam S. AMANDI scripsit Baudemundus Abbas Blandinienſis ante annum IↃCXCIX. Iunguntur duo Compendia: aliud auctore anonymo, sed antiquo, &, quantùm colligimus, Aquitano; aliud Harigeri ex Gestis Episcoporum Traiectensium. Aliam Vitam scripsit Philippus Haruengius ab Eleemosynâ, Abbas monasterij Bonæ-Spei, apud Binchiũ in Hannoniâ, Ordinis Præmonstratensis, circa annum CIↃCLXX. Eamdem Vitam edidit Milo Presbyter Elnonensis carmine heroico libris tribus distinctam, antè annum IↃCCCXL.

§ XIX Historias duas, Translationis scilicet S. AMANDI & eiusdem Eleuationis, scripsit idem Milo, cum miraculo incendij per S. AMANDVM anno IↃCCCLV restincti, ipso Milone spectatore. Additur epitome, malè apud Surium Vitæ adiuncta, post annum CIↃ scripta. Sequuntur fragmentum Chronici Elnonensis; Historia duplex miraculorum, prior auctore Gilleberto teste oculato, qui circa annum CIↃLXX floruit; posterior auctore fortè Guntero, aliquantùm iuniore. Denique Historia mulieris suspensæ anno CIↃCVII ad vitam reuocatæ, descripta à Marsiliâ Abbatissâ Rotomagensi monasterij S. AMANDI. Indicantur alij Vitæ Scriptores. Omittuntur Supplementum MS. & Sermo MS. legendus die natali.

§ XX In Historiâ Bressiæ & Beugesiæ à Samuele Guichenono anno CIↃ IↃCL editâ, *Nantuæ*, monasterij in Beugesiâ siti, origo perperàm S. AMANDO attribuitur: affingiturque Beugesiæ in Actis interpolatis, Ozindinsis vrbs Episcopalis, mons Helnon, & regio Helnonensis: itemque in Diplomatis, etiam interpolatis, dicitur S. GREGORIVS Magnus, rogante S. AMANDO, Nantuaci ab Childerico Rege fundati, ecclesiam in honorem SS. Petri & Pauli dedicasse, priuilegia, immunitates & Indulgentias concessisse, quæ ab illo accepta Childericus eiusque frater Theodericus approbarint, integro ferè seculo S. GREGORIO iuniores. Est fortè Nantua à Childeberto Rege Burgundiæ fundata, S. GREGORII MAGNI ætate.

§ XXI Obitus S. AMANDI affingitur eidem Nantuæ in Beugesiâ, quasi id esset Elnonense monasterium. Diploma Lotharij Regis de monasterio aliquo S. AMANDI Cluniacensibus addicendo, non conuenit Nantuæ, seculo XI illis subiectæ, & tempore huius Lotharij Conrado Regi Burgundiæ subditæ.

§ XXII Amandus Episcopus in Hispaniâ in Chronico Iuliani, & à Laurentio Ramirez de Prado statuitur, quem & S. AMANDVM Traiectensem pro vno eodemque habent, quasi is relictâ Sede Traiectensi, factus sit Castellonensis Episcopus: qui ideò Martyrologio Hispanico anno CIↃ IↃCLI excuso VI Februarij inscriptus est à Ioanne Tamayo-Salazario, colitur que officio duplici in Gienn̄esi Diœcesi. Occasio vtriusque res gestas confundendi detegitur. Seruantur & reliquiæ S. AMANDI in Eulanâ Perpiniani ecclesiâ: quæ alterius fortassis S. AMANDI sunt, licet VI Februarij istic officium Ecclesiasticum de S. AMANDO Traiectensi fiat.

Hactenùs Commentarius prævius noster. Sequuntur Acta

cta varia & Hiſtoriæ Tranſlationum & Miraculorum, anteà indicatæ, hoc ordine:

I Vita auctore Baudemundo, eius diſcipulo, Abbate Blandinienſi, ex XI codicibus MSS. & Surio, diſtincta more noſtro in Prologum & VII capita, atque annotationibus illuſtrata. Reiicitur vltima pars, quæ apud Surium à cap. XXI perperàm adnexa.

II Vita auctore antiquo anonymo, Aquitano, quantùm colligimus, edita ex MS. Andreæ Cheſnei, cuius pars ab eo inſerta eſt tomo I Scriptorum hiſtoriæ Francorum, ſed ſub nomine S. ALANI.

III Vita auctore Harigero Abbate Lobienſi, Ex Geſtis Pontificum Tungrenſium & Traiectenſiũ à Ioanne Chappeauillo editis.

IV Vita auctore Philippo Haruengio de Eleemoſynâ, Abbate Bonæ-Spei Ord. Præmonſtrat. Ex II codicibus MSS. collatis cum editione Duacenſi operum eius. Eſt ea à nobis poſt duplicem epiſtolam dedicatoriam in VIII capita diſtincta, & in Notationibus ſæpiùs correcta.

V Vita metrica auctore Milone monacho Elnonenſi ex MSS. Antuerpienſi & Elnonenſi, numquàm antehac edita. Præponitur epiſtola Auctoris ad Haiminum Presbyterum: à cuius Haymini calamo damus eodem VI Februarij Miracula S. VEDASTI Epiſcopi Atrebatenſis, vti & ſermonem in Natali S. VEDASTI, de duobus paruulis, meritis eius ſanatis. At hæc Vita, poſt proœmium operis carmine elegiaco, deſcripta eſt carmine heroico, & libris IV ab auctore diſtincta, quibus annotationes & diuiſionem capitum adiunximus. Sub calcem additur Wlfai poëma, carmine elegiaco, opus Milonis approbantis.

VI Sermo eiuſdem Milonis de Tranſlatione corporis S.

AMANDI, eiuſque Ordinatione & dedicatione templi, ex III codicibus MSS. hactenùs ineditus.

VII Sermo alius eiuſdem Milonis de Eleuatione corporis S. AMANDI, ex III MSS. codicibus collatis cum editione Philippi ab Eleemoſynâ, cui per errorem adſcribitur.

VIII Epitome Hiſtoriæ Tranſlationis & Eleuationis corporis S. AMANDI, apud Surium Vitæ primæ à Baudemundo ſcriptæ annexa; auctore anonymo, qui poſt annum CIↃ vixit.

IX Fragmentum breuis Chronici Elnonenſis ex MS. Blandinienſi.

X Hiſtoria miraculorum S. AMANDI, corpore per Franciam delato, auctore Gilleberto monacho Elnonenſi, ex II MSS. collatis cum editione operum Philippi ab Eleemoſynâ, in quâ vltima pars deeſt.

XI Hiſtoria miraculorum S. AMANDI, corpore per Brabantum delato, auctore fortè Guntero monacho Elnonenſi, ex iiſdem MSS. & operibus Philippi ab Eleemoſynâ; à quibus, vti & quæ immediatè præcedit hiſtoria, ſecernenda.

XII Hiſtoria mulieris ſuſpenſæ, & ad vitam reuocatæ, auctore Marſiliâ Abbatiſsâ Rotomagenſi. Ex MSS. variis & operibus Philippi ab Eleemoſynâ.

XIII Hymnus duplex de S. AMANDO ex MS. Antuerpiẽſi.

VI

Reliqui Francorum Reges vsque ad Carolum Martellum. ANNI XIV *regno* CHLOTHARII III *contra plurimorum seculorum scriptores vindicati.* IV *vltimi Episcopi Traiectenses. Sedes Leodium translata. Anni primorũ Abbatum Fontanellensium sub* S. AVDOENO *Archiepiscopo Rotomagensi.*

QVo tempore Sedi Traiectensi præerat S. AMANDVS, Reges, vt diximus, extitêre, Austrasiorum S. SIGEBERTVS, Neustrasiorum CHLODOVEVS II. Hic moriens tres reliquit paruulos filios, Chlotharium III, Childericum & Theodericum, cum S. BALDECHILDE, siue BATHILDE, eorum matre, cuius Vitam dedimus XXVI Ianuarij. Sub huius tutelâ successit patri anno IↃCLXII vitâ functo

CHLOTHARIVS III, cui annos regni tantùm quatuor passim assignant posteriores omnes Chronologiæ atque historiæ Francorum scriptores: contra quos antiquorum & coæuorum testium auctoritas clarissima grauissimaque prequalet. Hos longo ordine producimus ad Vitam S. SIGEBERTI § XI. Ex quibus obseruamus annos regni *quinque*, *sex*, *septem*, *decem*, *duodecim*, plures: eumdem ad legitimam ac virilem processisse ætatem, credique filium suscepisse; atque vniuersim regnasse annos XIV, quos exhibent Acta S. WANDREGISILI Abbatis Fontanellensis, cuius & successorum, vti & Episcoporum Rotomagensium tum viuentium annos,

infrà

infrà ſub calcem huius tractatus ideò adiicimus. Confirmat quoque XIV Chlotharij annos diploma S. DRAVSII Epiſcopi Sueſſionenſis, & ratio chronologica in annis etiam S. AMANDI ſuprà indicata. Regnauit ergo CHLOTHARIVS III ab anno Chriſti IↃCLXII, vſque ad IↃCLXXVI.

S. SIGEBERTVS Rex Auſtraſiorum vxorem habuit, non FRIDOBERGAM (vt cum Sanmarthanis paſſim alij cenſent; quæ deſponſata Sigeberto II Theoderici II filio, ſpretis nuptiis regiis, velamen monaſticæ vitæ ſuſcepit) ſed EVMECHILDEM, ſiue IMNICHILDEM, quam & BILDICHILDEM vxorem Childerici, Hieronymus Vignerius in Familiâ genealogicâ Alſatiæ aliiſque in vnam eandemque conflarunt. Vtraque ſubſcribit diplomati Childerici Regis à nobis paginâ CCXXXV edito. Plures *filios* S. SIGEBERTO attribuit auctor coæuus XV Ianuarij in Vitâ S. BONITI Epiſcopi Aruernenſis cap. I. An illis adiicienda S. BOVA, examinabimus die eius natali XXIV Aprilis. Solius *Dagoberti*, qui ſenior filius fuerit, nomen exprimunt auctores. Eum veterrima Acta S. AVDOENI tradunt poſt obitum patris *in Clericum à Grimoaldo attonſum, & Rotomagi in baſilicâ* S. PETRI *ſepultum*: vt minimùm illi octo aut decem ætatis anni videantur concedendi. S. SIGEBERTO ergo anno IↃCLXIII vitâ functo, & Dagoberto fraudulenter ablegato, CHILDEBERTVS filius Grimoaldi, à Proceribus aliquot, & huius aſſeclis, in regnum Auſtraſiorum potiùs intruſus videtur, quàm à Rege Sigebertoa doptatus, nec eius adoptionis apud coæuos ſcriptores vllum extat veſtigium. Sed hoc Childebertoanno ſequente IↃCLXIV ſummoto,

CHILDERICVS, frater Chlotharij III, Rex Auſtraſiorum conſtitutus eſt, ſub tutelâ Imnechildis viduæ S. Sigeberti: ab iis enim diploma, (quo monaſterium Bariſiacum S. A-

MANDO

MANDO donarunt) signatum exhibet MS. codex noster antiquus. Habemus aliud diploma donationis monasterio Maricolensi à S. HVMBERTO Abbate factæ, ex autographo, quod ipsius adhuc munitum Humberti sigillo est, descriptum, hoc exordio: *Anno duodecimo regni Domini nostri Hildrici glorioſi Regis, ego in Dei nomine Humbertus* &c. interponitur apud Baldricum lib. 1 Chronici Cameracensis cap. 27 XV *Kalendas Aprilis*; quo die illud fuisse datum, aliunde potuit Baldricus didicisse. Annus ille XII ex calculo posito conuenit in annum Christi IↃCLXXVI, ad quem vsque annum diximus *Chlotharium* III regnasse: quod confirmat in clausulâ dicti diplomatis, *subnixa adstipulatio idoneorum testium, Domni videlicet* VINDENTIANI *Episcopi, & Fulberti fratris Humberti.* Nam S. AVTBERTO Episcopo Cameracensi, XIII Decembris anni IↃCLXXV defuncto, successerat VINDENTIANVS, seu VINDICIANVS, anno IↃCLXXVI, *temporibus Theoderici Regis, qui post Chlotharium fratrem summam regni suscepit, renitentibus plurimis ex Francorum Principibus, maximè propter Ebroinum, qui Maior-Domus regiæ illis permolestus erat,* vt tradit idem Baldricus cap. 20. vbi vtriusque & Theoderici Regis & Ebroini subiungit eiectionem. Pulso ergo Theoderico Rege, anno adhuc IↃCLXXVI labente, CHILDERICVS Rex etiam Neustrasiorum est factus, qui Maiorem-Domus, vt tradit Vrsinus, sibi adsciuit S. LEODEGARIVM Episcopum Augustodunensem: cuius adiutus operâ & consilio *tribus penè annis* feliciter regnauit. Dein S. LEODEGARIVS iram eius, æmulorum inuidiâ suscitatam, vt declinaret, in Paschate, anno regni IV, Christi IↃCLXXX, Luxouium fecessit. Nec diu superstes Rex fuit, pòst paullò à Bodilone quodam, vnà cum Reginâ prægnante occisus, & cùm filiâ Rotomagi in basilicâ S. PETRI à S. AVDOENO sepultus. Annum regni

eius IV quædam diplomata signatum habent.

THEODERICVS ergo regnum anno IↃCLXXX recuperauit, tenuitque annos XIV; mortuusque demum anno IↃCXCIV. Eius annus III, VII, & XIV in annos Christi ICↃLXXXII, IↃCLXXXVI & IↃCXCIII conuenire, probatum manifestè est paginâ CCXXIV. CHLODOVEVS III eius filius regnauit annos quatuor. Ei frater CHILDEBERTVS successit anno IↃCXCVIII, postque annos XII mortuus est anno IↃCCXI. Huic subrogatus DAGOBERTVS II regnum tenuit annos quinque. Hunc DAGOBERTVM Martyrẽ esse, qui Satanaci X Septembris colitur, nuper Alexander Wilthemius è Societate IESV probauit; Actis eius editis, atque erudito commentario illustratis.

Inualuerat mirum in modum potestas Maiorum-Domus, siue Præfectorum Aulæ regiæ, ipsis iam Regibus timenda, qui non nisi precariò regnare, illorum munere, videbantur. Ita rerum summa sub Chlodoueo II penes *Aeganem*, *Erchenoaldum*, *Radobertum* fuit, dein *Ebroinum*; qui dum sub Theoderico Francos crudeliter opprimit, ab Hermenfrido confossus est anno IↃCLXXXVIII, post necem S. LEODEGARII, anno IↃCLXXXV perpetratam, *transacto trium annorum spatio*, vt in huius Actis legitur. At *Vulfoaldo*, qui Maior-Domus Austrasiorum sub eodem Theoderico fuerat, anno IↃCLXXXVII mortuo, Pipinus Herstallius eam dignitatem suscepit, & annos XXVII administrauit vsque ad annum IↃCCXIV. Ei tunc filius successit CAROLVS MARTELLVS, cum cuius initio omnis Chronologiæ, de quâ hactenùs disputatum, finita controuersia est: ac Sedes Traiectensis Leodium translata. Ei post S. AMANDVM præfuit

XVIII S. REMACLVS; qui creatus anno IↃCL, annos X Episcopatum administrauit, in MSS. expressos. Ab hoc iam Episcopo S. TRVDO Metas missus, *puerili adhuc ætate floridus*, atq;

à Gram-

à Grammaticâ per reliquas liberales artes progressus, anno VI *Episcopatus* S. REMACLI, sacræ Scripturæ studium arripuit: in quo cùm optatum feciſſet profectum, in Clerum assumptus, & *per Ecclesiasticos gradus* promotus, initiatusque sacerdotio est, ac plurimis transactis annis... maturusque tam ætate quàm moribus, ad S. REMACLVM *anno* X *Episcopatus* rediit: *Deiq; verbum in eius Diœcesi euangelizauit.* Eiusdem S. REMACLI anno VI cœpta sunt extrui monasteria Stabulense & Malmundariense, & triennio pòst ab eo adhuc Episcopatum regente dedicata. Qui post annum IↃCLX, relicto Episcopatu, in iisdem duobus cœnobiis diutissimè vixit, vt ad 1 : 1 Septembris dicemus, cùm varia eiusdem Acta dabimus: sed quæ ad hunc calculum chronologicum firmandum faciunt, excusa iam sunt paginâ CCXXV, atque ex iis anni S. SIGEBERTI Regis stabiliti. Huius autem S. REMACLI sæpiùs apud Regem procul à Diœcesi absentis, aut in dictis monasteriis extruendis occupati, vices gessit fortassis S. LANDOALDVS, qui anno IↃCLI à S. MARTINO Papâ cum S. AMANDO in Belgicam missus, Traiecti sub S. REMACLI Episcopatu annos circiter nouem Archipresbyter fuisse traditur.

XIX S. THEODARDVS Episcopatum Traiectensem gessit ab anno IↃCLX, aut initio sequentis. Huic à *patre suo commendatus* S. LAMBERTVS *adolescens, Diuinis dogmatibus & monasticis disciplinis in aulâ regiâ erudiendus* legitur apud Vitæ huius scriptorem Godeschalcum cap. 1. In Vitâ S. THEODARDI à Sigeberto Gemblacensi expolitâ, ab Episcopatu Traiectensi S. AMANDI, quem sub exitum anni IↃCXLVI inierat, *triginta circiter anni* ad martyrium vsque S. THEODARDI interponuntur, quibus *Ecclesia Traiectensis* dicitur *possessionum suarum quantitate mutilata, atque irruentibus vndique procellis agitata.* Ea

fortassis, præter alias, causſa fuit, cur SS. AMANDVS & REMACLVS Episcopatu sese abdicarint, ac tandem S. THEODARDVS martyrium subierit x. Septemb. anno IↃCLXXVI.

XX S. LAMBERTVS, Episcopus Traiectensis, ordinatus aliquot post martyrium decessoris mensibus, triennio *sub Childerico Rege; qui cum*, teste Godeschalco cap. 2, *præ omnibus Pontificibus & Optimatibus diligebat*, eam gubernauit Ecclesiam. At *Childerico ab impiis carnificibus* æstate anni IↃCLXXX *interfecto*, ac *Theoderico* in regnũ, & suum, ex quo expulsus fuerat, Neustriæ, & frateruum Austrasiæ, reuocato, sub Ebroino, qui Palatio eius præerat, adeò *præualuit iniquitas, vt S. Lambertum de Sede suâ deponerent, & honore debito priuarent.* Tum *Pharamundum in Cathedrâ illius constituerunt. Tunc S. Lambertus Pontifex*, vt dicitur cap. 3, *ad monasterium, quod vocatur Stabulaus, perrexit*, anno IↃCLXXXI. Dein Pipino Herstallio apud Austrasios anno IↃCLXXXVII Maioris-Domus potestatem adepto, Ebroino autem anno sequente IↃCLXXXVIII interempto, *post septem annos expletos*, pergit Godescalcus cap. 4, *Pharamundus de Sede Pontificali & de prouinciâ Traiectensi depositus atque repulsus est... Dominus autem Apostolicus* S. LAMBERTVS *ad propriam Sedem reuocatus, magnâ vniuersi populi lætitiâ susceptus est.* Actum, cuius antè nulla apud auctores mentio est, *pedes suos ad euangelizandam pacem dirigens, populum sibi commissum omnimodis sacræ doctrinæ cibis reficere curauit, innumeras infidelium turmas de Gentilitate vocauit ad Christianitatem* &c. Hic tandem, vt dicitur cap. 8. *à Dodone, de Primatibus Palatinis vno, & Pipini Ducis familiari* (quem *Alpaidis pellicis fratrem* alij vocant) *telo transfixus, animam Deo transmisit* anno IↃCCVII, aut etiam seriùs, vti dicetur XVII Septembris. Fundamenta huius controuersiæ etiam referuntur ad Vitam S. AMANDI.

XXI S. HVBERTVS, decessoris & magistri sui sacrum corpus

Leodium

Leodium transtulit *anno ordinationis suæ* XII aut XIII, die XXVIII *Aprilis*: anno igitur Christi IↃCCXX, Dominicâ quartâ post Pascha, cyclo Solis I, Lunæ XVIII. Nam aptissimè solennitates similes diebus Dominicis vt plurimùm peragi Bucherius obseruat. Transtulit dein S. HVBERTVS Sedem etiam Episcopalem ex Comitatu Masegau, seu Maselandiæ, in Tungrorum seu veterum Eburonum districtum, ex vrbe, inquam, Traiectensi ad *villam parui adhuc nominis*, *quæ Leodium dicta*, (vt Godescbalcus c. 7 vocat) seu Principum, quorum in vicino Palatium erat Herstalli ac Iupiliæ, auctoritate inductus; seu potiùs miraculorum, quæ ad tumulum S. LAMBERTI fiebant, frequentiâ motus; assentiente tamen (cuius supremum in omnibus istiusmodi rebus arbitrium est) Romano Pontifice. Ac sensim Leodium, tunc *viculus* dumtaxat, teste Nicolao cap. 16, in magnificam vrbem accreuit. Ipse autem S. HVBERTVS tandem anno IↃCCXXVII *feriâ sextâ* XXX *Maij*, mortuus est. Cuius *corpus ab obitu eius anno* XVI, *Carolomanni ac Pipini fratrum*, III, Christi IↃCCXLIII, *die Dominicâ*, III *Nouembris est eleuatum.*

Ad hæc fundamenta Chronologica IX Februarij ante Vitam S. ANSBERTI, ex Abbate Fontanellensi Archiepiscopi Rotomagensis, digessimus annos eius & decessorum; S. AVDOENI in Episcopatu, & SS. WANDREGISILI ac LANTBERTI in regimine monasterij: diximusque S. ANDOENVM factum esse Episcopum anno IↃCXLVI, *die Dominicâ ante Letaniæ*, siue *Rogationes* XIV *Maij*, *anno* III *regni Clodouei* II, vt ipsemet scribit in Vitâ S. ELIGII, tunc vnà consecrati Episcopi Nouiomensis. Huius AVDOENI sanctitatis famâ excitus S. WANDREGISILUS Rotomagum venit, & *aliquamdiu* cum eo versatus, *Subdiaconus*, *& processu temporis Diaconus* ab eo ordinatus est; & *non multò pòst à* S. AVDOMARO *Episcopo Taruanensi*

consecratus Sacerdos. Dein donante fundum Fontanellæ *Erchenoaldo*, eius *consanguineo*, Maiore-Domus Clodouei II, cœpit monasterium extruere *sub die Kalendarum Martiarum anno Chlodouei* XI, Christi IↃCLIV, *à* quo *primo ædificationis die expleuit in sacro regimine decem & nouem annos, menses quatuor, dies quoque viginti & vnum*; mortuus XI *Kalendas Augusti, anno* XII *Chlotharij* III, *Christi* IↃCLXXIII, cum egregio firmamento exordij regiminis Chlotharij III, cui *annos* XIV eadem S. WANDREGRISILI Acta sæpiùs assignãt. Successit Wandregrisilo in munus Abbatis S. LANTBERTVS, eique anno IↃC LXXXIV ad Archiepiscopatum Lugdunensem euecto, S. ANSBERTVS: cuius *annum* III regiminis monastici conuenire in VII *Theoderici Regis* tradit Angradus in Vitâ S. CONDEDI Presbyteri, illustrandâ XXI Octobris: qui etiam ANDRADVS Vitam S. ANSBERTI à se conscriptam dicauit Hilberto Abbati, huius successori. Præerat tum Aulæ regiæ Theoderici Pipinus Herstallius anno IↃCLXXXVII (vt anteà dictum) apud Austrasios creatus Maior-Domus, &, Ebroino anno IↃCLXXXVIII interfecto, apud Neustrasios VVARADO, siue VVARATTO, à Giflemaro filio posteà submotus: qui sæpiùs ideò à S. AVDOENO admonitus, morte peruicaciam luit, & pater dignitatem recepit: quo tempore *S. Audoënus nonagenarius* è vitâ decessit, *cùm rexisset Ecclesiam Rotomagensem annos* XLIII, *menses* III, *dies* X, scilicet à XIV Maij anni IↃC XLVI, ad XXIV Augusti anni IↃCLXXXIX. A cuius obitu ordinatus Archiepiscopus Rotomagensis est S. ANSBERTVS, qui Synodum Rotomagi celebrauit *anno Theoderici Regis* XIII, Christi IↃCXCIII, & biennio pòst, id est, anno IↃCXCV, decessit: corpus eius, postquàm in æde S. PAVLI annos IX quieuerat, translatum est in ecclesiam S. PETRI XXXI Martij, anno IↃCCIV, vti annum illum cõsignat Chronicon Fontanellense.

Atque

Atque hæc dicta obiter sunto de XXI Episcopis Traiectensibus, iisque Sanctis: quorum Sedis tempora ita dependent à Regum Francorum ætate (cùm tunc anni à Natiuitate Christi, quod nunc fit, minimè signarentur) vt eâ non intellectâ frustra meus hic omnis conatus esset. Quâ enim aliâ ratione, ac veluti ductu, annos admodùm implexos extricem, & Lectoris mei digitos, incertis, imò falsis planeque erraticis assuetos computis, vel tardâ etiam agitatione, (vt loquitur quidam) deflectam? In anno mortis S. AMANDI assignando ab aliorum calculo, per multa etiam secula, sed perperàm, obseruato, ad annos XXIII deflecto. Debuit & huius natiuitatis annus ab aliis temerè positus mutari: debuerunt successores THEODARDVS, LAMBERTVS, HVBERTVS, annis apud plerosque Scriptores malè præoccupatis cedere. Et verò quis mihi assentiatur, si Regum Chronologiam applicem, æquè adhuc obscuram, etiam apud eos, qui omnem se ætatem asserunt in illâ componendâ triuisse, si neque explanem ego eam, neque explanatam constabiliam ac firmem? At si quid ipse minùs videbor assecutus, (difficile enim est, vbi multis oculi caligent, non offendere) admonitus, in reliquo de Sanctorum Actis opere lubens emendabo.

LIBER

LIBER III.

Sedes Episcopalis Traiecto vindicata.

I

Translationes Sedium Episcopalium vsitatæ in Ecclesiâ & licitæ, modò legitima non desit auctoritas.

PRinceps Senatus Apostolici Petrus, ad cuius Episcopatus normam Ecclesiasticum omne exigi regimen debet, primùm summi Pontificij Sedem Antiochiæ, collocârat: estque reitantæ memoria anniuersario festo CATHEDRÆ ANTIOCHENÆ ad VIII Kalendas Martias consecrata. Posteà, seu Dei monitu, seu quia id aptius visum administrandæ vniuersum perorbem religioni, iuriq; sacrorum quaquaversùs constituendo, Romã migrauit, ibiq; solium Pontificale constituit, cuius esset suprema apud omnes Christianorum nationes auctoritas: atque hæc est CATHEDRA ROMANA, cuius quotannis ad XV Kalend. Februarias colitur memoria. Eadem lex minorum Pontificatuum est, transferri vt ad alia, intra eamdem diœcesim, loca possint. Neque enim qui singulis suorum Discipulorum suasit, vt exortâ in vrbe quapiam contra ipsos persecutione, in aliam fugiant; non multò magis voluit ipsos sacrorum administratores ac Præsides ad alia commigrare loca, vbi maior Dei gloria, aut animorum emolumentum sperretur: præsertim si vrbes eæ, vbi priùs domicilium habuerunt, excisæ sunt, aut ad finem propositum minùs iam opportunæ: modò, cuius interest, Metropolitæ, ac præser-

præsertim Romani Pontificis, accedat auctoritas. Neque illud refert, siue à posteriore domicilio, vt ius fasque est, appellationem nanciscantur, siue adhuc à priore, quia vel vulgus ab assuetis vocabulis non ita subitò recedit, vel eruditi ea ad elegantiæ speciem, quadam affectatione vetustatis vsurpant.

Quoties autem similem ob caussam mutati translatique Episcopatus sint, immensum esset enumerare. Exempla suggerent, qui de variis Orbis Episcopatibus scripserunt, Carolus à S. Paulo in *Geographiâ sacrâ, siue Notitiâ antiquâ Episcopatuum Ecclesiæ vniuersæ*, Autbertus Miræus in *Notitiâ Episcopatuum orbis Christiani*, Antonius Monchiacenus Demochares *de Sacrificio Missæ*, Wilhelmus Malmesburiensis in *libris* IV *de Gestis Pontificum Anglorum*, Ferdinandus Vghellus in *Italiâ sacrâ*, Claudius Robertus in *Galliâ Christianâ*, Ægidius Gonçalez Dauila in *Theatro Ecclesiastico Hispaniarum*, atque alij complures, quorum etiam nonnulli singulos Episcopatus seorsim illustrauêre.

In Belgicâ antiquâ tres quatuorúe Sedes Episcopales fuêre, quo ferè diximus modo, translatæ. Vna illarum est, quam S. VEDASTVS Atrebati suscepit administrandam circa IↃ annum, vt suprà positum, anno dein IↃXL vitâ functus. Ei successit *Dominicus*: huic *Vedulfus*, qui Atrebatensem Cathedram transtulit Cameracum circa annum IↃLX sub Chlothario I, Rege Sueßionum. Nam in eo regno erat Atrebatum, licet ipse Rex eo tempore, mortuis iam antè Theodebaldo Austrasiorum & Childeberto Parisiorum Regibus, monarchiam Francorum obtineret. Ab Sedis translatæ tempore vsque ad annum CIↃXCIV, quo Vrbanus Papa II in Concilio Claromontano proprium Atrebatensibus Episcopum dedit, omnes & officio & appellatione Cameracen-

ſes Epiſcopi fuerunt. De ipſo *Vedulpho*, tempore Childeberti Regis Auſtraſiorum mortuo, eiuſque ſucceſſore S. GAVGERICO iſta in huius Vitâ MS. habentur: *Intereà contigit Vedulphum Cameracenſis Sedis Epiſcopum diem obiiſſe, & exemptum rebus humanis ad meliora tranſiiſſe. Denique grex Paſtore deſtitutus, cœpit quærere, vt ſibi Pater ſpiritualis ad regimen daretur Eccleſiæ. Sed inſpirante Diuinâ clementiâ, ſancti viri* (GAVGERICI) *famâ compertâ, omnes vno animo eademq; voluntate Clerus & populus ipſius Eccleſiæ petierunt ab Childeberto Francorum Rege, Sanctum ſibi* GAVGERICVM *ordinari Epiſcopum. Nec difficile fuit, quin illicò miſſis litteris ad Ægidium Remenſis vrbis Epiſcopum decreuit ſatisfieri votis populi, quatenùs bonæ opinionis Leuita Chriſti* GAVGERICVS *Cameracenſis Eccleſiæ ordinaretur Epiſcopus.* Tempore Childeberti Regis Auſtraſiorum regnauit apud Sueſſiones Chilpericus, eoque interempto Chlotharius: ad quorum alterutrum rem detuliſſent Atrebates, ſi apud ſe Cathedram, migrante Cameracum Epiſcopo, manſiſſe credidiſſent. Inter ſucceſſores S. GAVGERICI ſunt S. ABLEBERTVS, de quo egimus XV Ianuarij, & S. AVTBERTVS, in cuius Vitâ codices MSS. hæc referunt: *Exigente itaque ſorte mortalis naturæ, contigit* ABLEBERTVM *Cameracenſis Sedis Epiſcopum depoſito carnis onere de hoc mundo tranſiſſe. Diuinâ igitur operatione cuncta ſalubriter ordinante,* AVTBERTVS *vir conſpicuus & ſucceſſor emeritus, proficiens de virtute in virtutem, eiuſdem Sedis Pontificalis ſortitus eſt dignitatem.* Hæc auctor Fulbertus, qui eam Vitam dicauit Gerardo I Epiſcopo Cameracenſi, qui ſedit ab anno CIↃXIV ad CIↃXLIX.

Altera ciuitas eſt NOVIOMVM. Ptolemæo lib. 2 cap. 9 *Noviomagus*, Cæſari lib. 2 § 12 *Noviodunum*; quod caſtrum erat Sueſſionenſis agri & Diœceſis. Nam Auguſtæ Sueſſionum, qui antè fuerat, poſtmodùm perſtitit Cathedræ honos. S.

MEDARDVS,

MEDARDVS, vt eius Acta habent VIII Iunij, *dolens ciuitatis Viromandensis, quàm regendam susceperat, factam destructionem, veritusq; iterandam Paganorum irruptionem, sano satis consilio Sedem Episcopalem constituit Nouiomi.* Claudius Heremæus Viromandensis cap. 15 Augustæ Veromanduorum vindicatæ, queritur *consilium* illud haud equidem Véromanduis *sanum* fuisse, *qui spoliati Cathedræ dignitate, habuêre posteà, quo viduitatem illam æternùm deflerent:* arbitraturque *Episcopalem Sedem Noniodumo* intra limites alterius diœcesis *illatam, quia Translationem illam Chlotharius Suessionum Princeps expetiuit, quò haberet* MEDARDVM *sibi viciniorem, quem summoperè & viuentem & mortuum veneratus est.* Eidem Nouiomensi Sedi adiuncta est Ecclesia Tornacensis, eidemque MEDARDO tradita, vrgente aut saltem approbante eodem Chlothario Rege. Sedem posteà Nouiomi habuit S. AICHARIVS; de quo in Vitâ S. Amandi ita Baudemundus: *Vir sanctus... Aicharium Episcopum, qui tunc Nouiomensis vrbis Cathedram præsidebat Sacerdotalem, adiit* &c. Baudemundum secuti sunt Milo in Poëmate, Harigerus & Philippus ab Eleemosynâ. S. AICHARIO successit S. ELIGIVS, in cuius Vitâ hæc tradit S. Audoënus: *Elegerunt ad Sacerdotale officium* ELIGIVM, *iam lumine Spiritus sancti irradiatum, vt præesset Ecclesiæ Nouiomensi. Decesserat enim in ipso anni curriculo* ACHARIVS *præfatæ vrbis Antistes. Elegerunt autem cum eo Audoënum sodalem eius, qui vocabatur Dado, vt præesset Ecclesiæ Rotomagensi.... Conuenientes igitur simul in ciuitate Rotomagensi* XIV *die mensis tertij,* III *anno Chlodouei iuuenculi adhuc Regis, die Dominicâ ante Letanias, inter cateruas populi, inter agmina Clericorum, inter choros psallentium, consecrati sumus gratis ab Episcopis pariter Episcopi, ego Rodomo, ille verò Nouiomo.* In Vitâ S. Bertulphi V Februarij paginâ IDCLXXXVII memoratur *Pontifex Radbodus Ecclesiæ Nouiomensi præsidens,*

præsidens, Translationem corporis illius anno CIↃLXXIII Gandaui factam probasse. Nihil attinet plura cõgerere testimonia scriptorum, quando nemo adhuc fuit qui illam Cameracensis aut Nouiomensis Episcopi appellationem, translationemúe Sedis, impugnaret. Totam S. ELIGII Diœcesim ita legentium oculis subiicit Audoënus: *Hoc ergo modo*, inquit, *aurificem inuitum detonsum constituerunt custodem vrbium, seu municipiorum, his vocabulis: Vermandensi scilicet, quæ est metropolis vrbs, Tornacensi verò, quæ quondam regalis extitit ciuitas, Nouiomensi quoque, & Flandrensi, Gandensi etiam & Corturiacensi.* Tornaci regiam sedem quondam extitisse confirmat inuentũ nuper corpus Childerici Regis, patris Chlodouei I.

II

Tres recentiores scriptores, Traiecti numquàm Sedem Episcopalem fuisse, gratis contendunt.

ANnis ferè centum ac septuaginta priùs, quàm Cameraci Atrebatensis, Veromandensis Nouiomi Cathedra locaretur, è viuis iam excesserat S. SERVATIVS, primus Traiectensis Episcopus: à quo Aduatucâ Tungrorum Sedes Episcopalis Traiectum, Masacorũ primariam vrbem, translata erat: cuiistic præfuerunt supra memorati Episcopi XXI, quos Vrbi illi vindicamus. Ægidius Bucherius è Societate IESV, qui magnã partem ætatis posuit in Belgicis Antiquitatibus eruderandis, de quibus hoc tempore, iam grandis natu, sed mente ac corpore vegetus, duo habet sub prælo volumina, dudum à viris doctis expetita, idem olim Leodij edidit *anno* CIↃ IↃCXII *Dissutationem historicam de primis*

Tungrorum seu Leodiensium Episcopis. Item Chronologiam posteriorum; adiunctam tomo 1, quem *Ioannes Chapeauillus Canonicus & Vicarius Leodiensis* publicabat hoc titulo : *Qui Gesta Pontificum Tungrensium, Traiectensium & Leodiensium scripserunt auctores primi* &c. Huic Titulo alter additur Disputationis Bucherianæ, qui & posteà rursus ipsi Disputationi præfigitur, omisso vocabulo *Traiectensium*, per Chapeauillum expresso; quem ipse in Præfatione ita alloquitur : *Dissertatiunculam de primis Tungrorum, siue Leodiensium, Episcopis, cum posteriorum expansâ chronologiâ, mitto ecce tibi, Vir amplissime* &c. Quia autem Chronologiam hanc auspicatur à baptismo Chlodouei, nouum ei titulum apponit : *Chronicon Episcoporum Traiectensium ad Mosam, seu Leodiensium.* Ac mox anno CCCCXCVII, qui illi à baptismo Chlodouei secundus est, ita habet : *Agricolaus Tungrensibus datur Episcopus, qui residet Traiecti.* In hac Disputatione historicâ cap. 6 de Cathedrâ Traiectensi suum ita sensum promit : *Sederunt autem Traiecti ad Mosam, siue S. Seruatij exemplo iussúe, siue quòd Tungrensis Ciuitas tum nulla esset. Et hæsit inibi fixa Sedes ad annum vsque Christi* IↃCCIX, *quo duodecimus D. Huberti completur, per annos omnino* CCXII, *diutius vtique quàm Tungris, quæ vnico tantùm proprio gloriari potest Pontifice, D. Seruatio. Qui tamen Traiecti resedêre Pontifices, nõ tam Traiectenses à domicilio, quàm ab antiquissimæ Sedis nobilitate Tũgrenses appellati sunt.* Hęc ille. Ostẽdimus suprà, ferè CCCI. annis Traiecti Sedem stetisse. Atque ipse Bucherius posteà animaduertit plusquàm CCC saltem annis Traiecti habitasse Antistites, & calculum priorem post secundum Chapeauuilli tomum correxit. Sed Disputationis illius cap. 5 & 6 sæpius *Cathedram Tungrensem*, *Ecclesiam Tungrensem* vocat, aliquando *Tungrensem seu Traiectensem* : subinde, sed rariùs, *Traiectensem* : scilicet *ob antiquissimæ*

Sedis Tungrenſis nobilitatem, vt ait. Quo ſanè reſpectu ſuprà relati Nouiomenſes Epiſcopi forent Viromandenſes appellandi, & Cameracenſes ob S. VEDASTVM Atrebatenſes dicendi. Quamquàm vtrique huic vrbi, Cameraco, inquam, & Atrebato, proprios antè pridem ſub Romanis fuiſſe Epiſcopos, licet nomina lateant, plures viri docti opinentur. At quis non cohorreſcat, ſi eiuſmodi vel leuiſſimè animum cogitatio pepulerit, multò magis ſi dici à quopiam audierit, Summos vniuerſalis Eccleſiæ Pontifices, Antiochenos Epiſcopos poſſe appellari? Ne ipſi nunc quidem Leodienſis Eccleſiæ Antiſtites, ob illam *antiquiſſimæ Sedis Tungrenſis nobilitatem*, ſeſe pro Leodienſibus Tungrenſes dici patiantur.

Ioannes Roberti Arduennas è Societate IESV, nuper mortuus, typis Luxemburgenſibus vulgauit anno CIↃ IↃC-XXI *Hiſtoriam S. Huberti, Principis Aquitani, vltimi Tungrenſis, & primi Leodienſis Epiſcopi, eiuſq; vrbis Conditoris, Arduennæ Apoſtoli*, cum *Notis & Paralipomenis ad Vitam & Quæſtionibus Hubertinis*. Hic Notatione XXVII aſſerit TRAIECTI *plurium Epiſcoporum hoſpitium & commorationem fuiſſe, at Epiſcopatus* SEDEM *numquàm*: de quo argumento quæſtionem VI Hubertinam inſtituit, ad quam ita præfatur: *Affectum depone, Lector ingenue, qui ad huius Quæſtionis lectionem accedis, vt mihi certò conſcius ſum, ſine affectu ſcripſiſſe, & ſoli veritati eſſe veliſicatum. Quam te quoque vnam hîc reſpicere velim; ſatis certus, ſi id faxis, ad meas te partes acceſſurum, etſi in aliis forſan caſtris fuiſſes. Ne maleuolus quidem vllam cauſſam aliquâ cum probabilitate ſingere poſſit, cur mihi in mentem venire potuerit, vt nobilem religione, Clero, populo Vrbem Epiſcopali Sede ſpoliatam vellem, quâ nobilitatã fuiſſe conſtaret: maximè cùm eiuſmodi in ſeculo viuamus, quo ab innumeris & bonis & eruditis viris, vanitatis arguì poſſem, & verò, me quoque fatente, deberem.* Hæc præfatus triſtem

triſtem & funeſtam Traiectenſibus ſententiam eloquitur paginâ CCCXCV his verbis: *Principiò aio Sedem Epiſcopalem à* S. HVBERTO *Leodium tranſlatam, non Traiecto ad Moſam, ſed Tungris. Quæ aſſertio hanc neceſſariò ſecum trahit, &, vt in Scholis loquimur, ſupponit,* Sedem *Epiſcopalem Traiecti nunquàm fuiſſe, etſi Epiſcoporum Tungrenſium habitationē & multorum & multos annos ibi fuiſſe ſit indubitatum. Reſpirani, poſtquàm hoc pronuntiatum elocutus ſum, quod ſolum in hac Quæſtione eſt, quod offendere quempiam poſſit, contrariæ opinationi quacumque ex cauſſâ auctoratum.* Hæc ille ſcenico penè thraſoniſmo, qui dein centuriam ferè producit teſtimoniorum, veluti tot capitum cohortem, in tres diſtributam manipulos, de quibus infrà.

Bartholomæus Fiſen Leodienſis, ex eadem Societate IESV, *Hiſtoriam Eccleſiæ Leodienſis* anno CIↃ IↃCXLII publicauit. Ad quod opus moliendum ei anteà luculentum auxilium præbuimus, factâ poteſtate vt quæcumque de Vitis Sanctorum collecta habebamus perluſtraret, iis ad hiſtoriæ abſolutionem ſuæ vſurus: non enim ſtatuerat, vt aiebat, Sanctorum Vitas, etiam illius Diœceſis, ſeorſim ſcribere: quas tamen poſteà ſcripſit, & anno CIↃ IↃCXLVII vulgauit, ac *Flores Eccleſiæ Leodienſis* nuncupauit. In vtroque autem opere Ioannis Roberti veſtigiis inſiſtit, & ad eius *prolixam diſputationem*, ac *productam ab eo teſtium centuriam* vt adeat, lectori ſuadet lib. 2 Hiſtoriæ cap. 46. De iis autem qui ſecùs ſentiant, ita pronuntiat: *Scio fortiter non paucos repugnare, maiorine veritatis quàm patriæ ſtudio viderint.* Et num. 2 monet *nullam fidem adhibendam eſſe heſternis quibuſq; ſcriptoribus, qui, nullo auctore ab antiquitate petito, ſua commenta, veriùs ignorantiam, iactitant.* Demum ſub finem eiuſdem libri ſecundi iſta habet: *Scriptores multò plures ex omnibus ætatibus petiti, illos ipſos, qui Traiectum incoluerunt, Epiſcopos Tungrenſes potiùs indigetarunt,*

runt, quàm Traiectenſes. Verùm illos ex omnibus ætatibus petitos Scriptores non producit: vnicum veluti vadem dat Ioannem Roberti: cuius infrà videbimus qualia ſint, quodúe momentum habeant, teſtimonia. Nobis multitudine teſtium nil opus: (quamquàm neque ea deeſt) antiqui, graues, integri, incorrupti, etſi pauci, pro quantauis turbâ vulgarium eſſe apud cordatos debent. Si recentioribus vtemur, ij erunt, quos qui contrà ſentiunt, pro ſe ipſi allegant.

III

S. SERVATIVS *ceteriq; vſque ad annum Chriſti* IↃ, TRAIECTENSES EPISCOPI *ab illius æui ſcriptoribus, aliiſq; antiquis, appellati.*

ORdimur à S. SERVATIO, anteà Tungrenſi, dein primo Traiectenſi Epiſcopo. Qui coætanei ſuppareſque illi ſcriptores fuerunt, haud aliter eius meminerunt, niſi cùm geſta in Colonienſi Concilio, inque Ariminenſi narrant; nam vtrique eum, tunc Epiſcopum Tungrenſem, interfuiſſe ſuprà diximus. Nominatur etiam à S. Athanaſio Apologiâ II contra Arianos, Σαρβάτῳ inter Epiſcopos Galliæ, qui anno CCCXLVII Sardicenſi Synodo in Illyrico interfuerunt: qui S. Seruatius eſt, tunc Tungrenſis Epiſcopus. Primus Vitam eius, factaque poſt mortem miracula, breuiter attigit S. Gregorius Turonenſis in Galliâ Epiſcopus, qui S. Gregorij Magni æqualis fuit, clarus generis nobilitate, ſanctimoniâ vitæ, doctrinâ. Is lib. 2 Hiſtoriæ Francorum cap. 5 cùm ea narrat, quæ geſta à S. SERVATIO, priuſquàm Tungris relictis Traiectum migraret, ita incipit: *Erat tunc temporis*

apud

apud Tungros oppidum SERVATIVS *eximiæ ſanctitatis Epiſcopus.* Cetera ſuperiùs lib. 2 relata ſunt. Vbi autem miracula narrat ad eius tumulum facta cap. 72 libri de Glorià Confeſſorum, licet ante Francicam hiſtoriam ſcripti, ita loquitur: SERVATIVS *verò Traiectenſis Epiſcopus, tempore Chunorum cùm ad inrumpendas prorumperent Gallias, fuiſſe memoratur: qui & ſepultus refertur iuxta ipſum pontem aggeris publici, circa cuius ſepulchrum quamuis nix defluxiſſet, numquàm tamen marmor, quod ſuper erat poſitum, humectabat.* Hæc ipſa forma eſt & ratio loquendi, quam & ab aliis obſeruatam anteà vidimus, vbi, cùm de Epiſcopatibus ab vnâ in aliam vrbem traductis agunt, poſterioris titulum Epiſcopis tribuunt. Ita *Nouiomenſes* dictos retulimus, quorum deceſſores fuerant Viromandenſes.

Aduerto in libro de Gloriâ Confeſſorum ARVATIVM legi in editione Pariſienſi ac Colonienſi: qui tamen in codice MS. S. Laurentij Leodij (quem dedit ei Eccleſiæ, cùm anno CIↃXXXIV eam dedicaret, Reginardus Epiſcopus) rectè SERVATIVS ſcribitur, vti etiam apud eumdem Gregorium Turon. in Hiſtoriâ Francorum. Id factum videtur, quòd in veteri codice, vnde deſcriptum exemplar publicandum, omiſſa S littera eſſet, cupiente ſcriptore, artificioſo calami ductu, forſan etiam coloribus additis, eam litteram effingere, aut ab alio effingendam curare. Paſſim exempla occurrunt, tum eo modo efformatorum, tum omiſſorum characterum.

Bartholomæus Fiſen lib. 2 Hiſtoriæ Leodienſis ſect. 46, omiſsâ hac S. Gregorij Turonenſis auctoritate, aſſerit *paſſim Neotericos ſcribere, auctore nullo antiquiore, niſi Sigeberto,* Sedem Epiſcopalem à SERVATIO Traiecti collocatam. Verùm quis antiquior negauit Sedē à S. SERVATIO fuiſſe Traiecti

 conſti-

constitutam? Et verò quis ille est Sigebertus? Qui nimirùm *morum probitate & scientiæ multiplicitate laudabilis, & gratus sui temporis sapientibus, in cœnobio S. Vincentij Martyris iuxta Metas diu conuersatus, sapientiæ fons patens erat non solùm monachis, sed & Clericis vndique confluentibus.* Quem reuersum ad proprium *cœnobium Gemblacense frequentarunt maiores natu, excellentiores gradu, acutiores sensu, qui erant in vrbe Leodiensi, si quid quæstionis occurreret eis, ad hunc deferre & cum eo conferre soliti.* vti his verbis referunt antiqua Gesta Abbatum Gemblacensium apud Miræum in Prooemio Chronici ipsius Sigeberti. Eum ergo, cuius etiam Ioannes Roberti triplex pro se Testimonium inter *antiquiores auctores* adducit, in hac quæstione audiamus sententiam ferentem ad annum CCCCLIII, vbi agit de Attilâ Rege: *Hoc excidium*, inquit, *impendere* SERVATIVS *Tungrensis longè antè in Spiritu præuiderat, & Romæ à beato Apostolo hoc iudicium Dei ineuitabile fore didicerat: ideoq; relictâ Tungrensi vrbe, quæ euertenda erat, ad Traiectum* SEDEM EPISCOPALEM TRANSPOSVIT. Eadem de præuisione in Spiritu, responso S. Petri, & migratione Tungris Traiectum dedimus ex Gregorio Turon. qui SEDEM translatam satis confirmat, dum S. SERVATIVM *Episcopum Traiectensem* appellat. Obiit Sigebertus longâ ætate confectus III Nonas Octobris, anno CIↃCXII.

Eadem, quæ Sigebertus tradit Vincentius Bellouacensis ex Ordine Prædicatorum, scriptor antiquus & illustris, qui anno CIↃCCXLIX traditur obiisse. Hic lib. 20 Speculi Historialis cap. 39 non illa describit ex Sigeberti Chronico, quod passim toto opere, atque illo etiam capite, sed in re prorsus diuersâ, allegat; sed tam in editione Venetâ anni CIↃIↃXCI, quàm Duacenâ anni CIↃIↃCXXIV excerpta *ex Vitâ S. Seruatij*: vt Auctor huius Vitæ, quocumque is tempore vixerit, præiuerit

præiuerittam Sigeberto quàm Vincentio, fortè etiam S. Gregorio Turonensi: quod tamen in re dubiâ vix ausim coniectare.

Idem Fisen loco indicato inculcat *productam à Ioanne Roberti centuriam testium.* In *his*, inquit hic auctor paginâ 397. *primum meritò locum obtineant ipsa Ecclesiæ Tungrensis & Leodiensis Chronica, quæ cùm varia passim viderim, nulla fideliora iudico iis, quibus vsus Auctor Magni Chronici Belgici, Canonicus Regularis S. Augustini prope Nussiam, à Pistorio editus Francofurti* CIↃ IↃCVII. *Ex hoc igitur primo loco pauca depromam.* Ita Ioannes Roberti. Hic Chronici auctor pag. 15 versu 50, ita scribit: *Istud excidium Gallis impendere* SERVATIVS *Tungrensis Episcopus longè antè in Spiritu præuiderat, & Romæ à B. Petro Apostolo hoc iudicium Dei ineuitabile fore didicerat: ideoq; relictâ Tungrensi vrbe, quæ euertenda erat, ad Traiectum* SEDEM EPISCOPALEM MIGRAVIT. & addit: *Hæc Sigebertus:* cuius solùm primum atque vltimum verbum immutauit. Idem auctor pag. 144 versu 21 hæc habet: *Finitur hîc Chronica Sigeberti, qui venerabilis monachus Gemblacensis cœnobij, vir in omni scientiâ litterarum incomparabilis ingenij, descriptor temporum,* III *Nonas Octobris obiit.* Similia habent Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis, Molanus in Bibliothecâ sacrâ aliique. Constare sua, neque ea exigua, Sigeberto auctoritas debet, dum alia non obstant antiquiorum monumenta: ac pluris facienda, quàm Nicolai Canonici Leodiensis, qui illo iunior Vitam etiam aliquam S. Lamberti conatus est scribere, sed infelici calamo, vt infrà ostendetur.

Qui S. SERVATIO proximè successerunt Episcopi Traiectenses, suprà à nobis relati, minùs noti sunt: quia res ab iis præclarè gestæ aut litteris non fuerunt commendatæ, aut certè iniuriâ temporum perierunt. Fisen loco indicato ita loquitur:

loquitur: *An Monulfus (quo priorem neminem Traiectenſibus adſcripſit antiquitas) ceteriq; quotquot Traiecti habitarunt, Tungrorum non fuerint Epiſcopi, non immeritò graviter diſputant nonnulli, contenduntq; Traiectinos non magis dici debere, quàm ſummi Pontifices appellari debuerint Auenionenſes, quamdiu eâ in vrbe habitationem habuerunt.* Ita Fiſen, à quo citatus *diſputator* vnus & ſolus eſt Ioannes Roberti, qui ea habet pag. 396. *Ex meâ igitur mente*, inquit Fiſen, *primus omnium* DOMITIANVS, *Tungrenſium ruinarum tædio, Traiectum frequentare cœperit, inuitatus miraculorum celebritate ad* S. SERVATII *ſepulchrum perpetratorum.* At ſuprà oſtenſum eſt, haud paullò antè Tungrorum vtcumque reſtaurari ruinas cœpiſſe, ac SS. CVNIBERTVM & HELERIVM non *ceſſaſſe frequentare eccleſiam* B. MARIÆ *Virginis*: vt *ruinarum tædio* exiſtimari non poſſit S. DOMITIANVS inde emigraſſe. Quæ Fiſeno vnica ſuæ aſſertionis cauſſa eſt, tam libro illo 2 ſect. 45, quàm in Floribus Leodienſibus VII Maij ad eiuſdem Præſulis Vitam, vbi ait: *Tungris aliquam priſci ſplendoris ſpeciem reducere animus erat, niſi miſerandus vrbis ſtatus abſterruiſſet. Pluribus quippe cladibus quaſi catenato malo ſuccedentibus, proſtrata ciuitas aſſurgere nequibat.* Sed quæ tum ſub Francis *clades catenatæ ſucceſſerunt?* Cur non potiùs rationes hæ probabile facient, eos qui proximè S. SERVATIO ſucceſsêre, metu *tædioq; ruinarum Tungrenſium* Traiecti reſediſſe? præſertim cùm quæ *per Spiritum ille præſenſerat* de excidio vrbis, & horrore cùm adhuc imminerent, &, poſtquàm euenerant, lugubri memoriâ animos concuterent.

Meliùs Bucherius initio Chronici, *Agricolaus*, inquit, *Tungrenſibus datur Epiſcopus, qui* RESIDET TRAIECTI. Auctor Chronici Belgici, quem magni Ioannes Roberti, vti vidimus, facit, & inter *antiquiores* locat pag. 18 verſu 26 ait, ab

Epiſcopis

Episcopis Galliæ institutum esse sanctum Episcopum AGRICOLAVM, *habitaturum* SEDEM TRAIECTI, *ob destructionem Tungrorum ciuitatis.* & versu 32: AGRICOLAVS *Episcopus Tungrensis* XI *& Traiectensis post* B. SERVATIVM *primus, cùm in vineâ Domini feliciter laborasset, anno sui præsulatus* VII, *Nonis Februarij in Christo in pace quieuit, & in Ecclesiâ* SS. PETRI & PAVLI *Traiecti superioris, quæ nunc* S. SERVATII *dicitur, iuxta* S. SERVATIVM *tumulatur. Hæc ex Gestis Episcoporum Tungrensium*: quibus *nulla fideliora* extare iudicat Ioannes Roberti.

Ægidius à Leodio Aureæ-Vallis monachus, qui circa annum CIↃCCXL floruit, atque inter auctores antiquiores meliore iure ab eodem Ioanne Roberti numeratur, ad Harigerum cap. 30 ita scribit: *Conuenit ergo digniori Ecclesiarum gradui, & vir vitæ venerabilis* AGRICOLAVS, *agrum Dominicum exculturus eligitur, consecratur Præsul, iuxta magnanimum* SERVATIVM SEDEM IN TRAIECTO HABERE *dirigitur, quoniam quidem Tungris dignitate Pontificali semetipsam indignam fecerat, ex quo demens illum abiecit, quem singulari quondam miraculo per Angelum visibiliter accepit. Annuntiatum est verbum hoc Traiecto. Placuit plebi Senatuiq; vniuerso. Gaudenter electus Domini* S. AGRICOLAVS *suscipitur, & in basilicâ* S. SERVATII *digno successori dignâ* CATHEDRA *locatur. Huic inter cetera virtutum insignia, quæ per eum Dominus operari dignatus est, concessum est restaurare tectum sepulchri* B. SERVATII, *ventorum violentiâ pridem deiectum: quod nemo ante eum poterat. Sicq; post aliquantos annos Domino seruiens nocte & die, recepturus ab eo coronam gloriæ, quieuit in pace.*

De successoribus ita auctor Magni Chronici Belgici eadem paginâ 18: B. VRSICINVS *post obitum* S. AGRICOLAI XII *Tungrensis, &* II *Traiectensis Episcopus ordinatur... Migrauit à præsenti seculo Kalendis Octobris in Traiecto, sepultus super Mosæ fluuium.*

fluuium. S. DESIGNATVS XIII *Episcopus Tungrensis...sepultus in Traiecto superiori.* B. RESIGNATVS XIV *Tungrensis Episcopus, ab omni populo & Clero in Traiecto suâ benignitate eligitur...in Ecclesiâ Traiectensi tumulatur.* S. SVLPITIVS XV *Episcopus Tungrensis &* V *Traiectensis post* S. SERVATIVM... *quieuit in Domino appositus in Ecclesiâ Traiectensi.* S. QVIRILLVS XVII *Episcopus Tungrensis &* VI *Traiectensis*... S. EVCHERIVS, *aliàs* EVCHARIVS, *huius nominis primus, Episcopus* XVII *Tungrensis &* VII *Traiectensis*....*sepultus Traiecti.* B. FOLCO *frater germanus prædicti* EVCHERII, *aliàs* EVCHARII, *communi assensu omnium factus est Tungrensis Episcopus* XVIII...*Traiecti tumulatur.* Hæc auctor Magni Chronici Belgici, *inter auctores antiquiores primo loco* suprà relatus, idque *ex Chronicis Episcoporum Tungrensium,* & quidem, teste Ioanne Roberti, *fidelioribus.* Nomen Tungrense retentum ab eo ob numerum Episcoporum, quem à S. MATERNO vno tenore percenset, sed addito semper Episcopatu Traiectensi, ob SEDEM TRAIECTI, vt antè ex eo diximus, locatam.

De iisdem Ægidius à Lèodio hæc tradit cap. 31: *Post decessum* B. AGRICOLAI *Episcopi,* CATHEDRAM *Episcopalem in Traiecto duodecimus Episcopus* B. VRSICINVS...*suscepit. Loco tertiodecimo à* MATERNO *beato Traiectensium Episcopo successit* B. DESIGNATVS...*post hunc* XIV B. DESIGNATVS *Episcopus*... *Quo defuncto* XV B. SVPPLICIVS *Episcopus, post quem* XVI *Episcopus ordinatur* B. QVIRILLVS. *Loco* XVII B. EVCHERIVS *extitit. Post hunc* XVIII *Episcopus* B. FALCO *extitit:* nullâ vspiam vrbis Tungrensis factâ mentione, *Cathedram Episcopalem in Traiecto* agnoscit tunc fuisse, licet eodem Episcoporum numero etiam Tungrenses complectatur.

IV

Episcopi seculo VI TRAIECTENSES *à Scriptoribus agniti.*

POST FALCONEM seculo Christi sexto præfuit Ecclesiæ Traiectensi S. EVCHERIVS, *aliàs* EVCHARIVS, *huius nominis secundus, in Traiecto superiori sepultus*, vt tradit sæpè memoratus Auctor Magni Chronici Belgici. Sequitur S. DOMITIANVS, in cuius Actis ex MSS. Hoiensi & Rubeæ-Vallis, ita legitur: *Tempore illo contigit vt venerabili* EVCHARIO ECCLESIÆ TRAIECTENSIS EPISCOPO *defuncto*, S. DOMITIANVS, *iam scientiâ, virtute, nec non & sanctitate celeberrimus, in eadem* SEDE, *populi ac Principum electione, subrogaretur Episcopus.* Deinde vbi de eius obitu agit, ita loquitur auctor anonymus: *Tandem reuelata est sancto Præsuli* DOMITIANO *proxima corporis sui de hac vitâ resolutio, qui Sanctorum per circuitum visitans limina ad tumbam* S. SERVATII *peruenit, vbi conuocatis Ecclesiæ suæ Clericis & ceteris fidelibus, ac eis sermonem faciens, pacemq; & communionem omnibus tribuens, omnes, vt pro eo Deum deprecarentur, admonuit, & remanens in ecclesiâ rogauit Dominum.* Narratâ deinde Christi inter Angelos apparitione, addit: Et *Præsul glorioſus visione Dominicâ consolatus, in exultatione permansit, ac tandem ibidem inter religiosorum Sacerdotum manus, Nonis Maij, ad cælos migrauit.* Hactenùs MSS. Acta, quibus in codice Hoiensi præponitur Præfatio, hoc exordio: *Ad confirmandam fidei Catholicæ veritatem, in diuersis terrarum nationibus, sub diuersis temporibus, diuersos Diuinæ religionis cultores & præclaros Doctores Prouidẽtia & pietas superna elegit. Ex quibus glorioſæ memoriæ* B. DOMITIANVM *plebs & patria Traiectensium* PONTIFICEM

&

& PASTOREM, *sicut Eccleſia Hoienſis Patronum & meritis præclarum accepit.* Hæc ibi, abſque vllâ vrbis Tungrenſis mentione. Fiſen VII Maij Vitam dat S. DOMITIANI, ex *Tomis Conciliorum*, vt ait, *Harigero, MSS. Hoienſi & Rubeæ-vallis*, quæ nempe ei conceſſeramus; atque ita incipit: EVCHARIO *Tungrorum Epiſcopo vitâ decedenti cùm ſucceſſor quæreretur* &c. In MS. vtroque EVCHARIVS ECCLESIÆ TRAIECTENSIS EPISCOPVS appellatur. Silent Concilia. Harigerus nudum nomen exprimit. Nam qui titulum hunc adiecit, *De S. Remigio & nouem Tungrenſibus Epiſcopis*, poſt Ægidium à Leodio vixit. Sed quamuis ita ſcripſiſſet Harigerus; idem ab obitu S. SERVATII hiatum centum & ampliùs annorum induxit, iam ſæpiùs à nobis reiectum, quem nec ipſe admittit Fiſen.

S. DOMITIANVM quatuor Conciliis in Galliâ interfuiſſe tradit Bucherius cap. 6 Diſputationis hiſtoricæ, ſcilicet *Aruernenſi*, *Aurelianenſi* V, *Pariſienſi* II, & *Turonenſi* II. Verùm ad hoc vltimum Turonibus anno VI Chariberti Regis Pariſiorum habitum, ſolùm qui in eiuſdem Chariberti regno degebant Epiſcopi conuenerunt: inter quos qui aderat *Domitianus*, ita ſubſcripſit: *Domitianus peccator Epiſcopus Eccleſiæ Andegauenſis conſenſi & ſubſcripſi.* Idem Pariſienſi III, quod Bucherius ſecundum appellat, interfuit, atque omiſsâ Sede, *Domitianus peccator* ſubſcripſit. At S. DOMITIANVS Epiſcopus Traiectenſis interfuit Concilio Aruernenſi ſub Theodeberto I Rege Auſtraſiorum, vbi procul à patriâ exiſtens apud Aquitanos (quos tum Lege Romanâ Theodoſij vſos, ac *Romanos* fuiſſe appellatos lib. 2 diximus) vt clariorem ſuæ Sedis cognitionem daret, ſubſcripſitiuxta Notitiam antiquam Prouinciarum ac Ciuitatum Galliæ, cui tamen Sedis, quàm tunc tenebat, nomen adiunxit, hac formulâ: DOMITIANVS *in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Tungrorum, quod eſt Traiectum.*

Traiectum, subscripsi. Ita habent editiones Conciliorum Petri Crabbei, Laurentij Surij, Seuerini Binij & Sixti v Pontificis Maximi: additurque hæc antiqua interpretatio: *A Tungris Sedes Episcopalis in Traiectensem translata est, atque inde ad vrbem Leodiensem.* Idem de Concilio v Aurelianensi iudicium esto.

Secutus S. MONVLPHVS XII Fpiscopus Traiectensis, de quo, vt antè diximus, S. Gregorius Turon. cùm ageret de sepulchro S. SERVATII, hæc habet: *Procedente verò tempore aduenies in hanc vrbem* Traiectensem MONVLPHVS *Episcopus* (scilicet Traiectensium vti antè appellârat S. SERVATIVM) *templum magnum in eius honorem cõstruxit, composuit, ornanitq; in quod multo studio & veneratione translatum corpus magnis virtutibus pollet.* Addit Harigerus c. 22. SEDEM *Pontificalem illic* (in extructâ ecclesiâ) *deinceps esse constituit, in cuius Ecclesiæ medio corpus suum humari mandauit.* Mss. eius Acta XVI Iulij danda, sic incipiunt: *Beatus Monulphus per solam Euangelicæ caritatis monadem, omnium gratiarum professione pleniter suffultus,* B. SERVATIO, *aliquantis Pontificibus intermediis, in* TRAIECTENSI SEDE *salubriter successit.* Multa, quæ in hac Vitâ referuntur, eisdem verbis leguntur in Additionibus Ægidij ad Harigerum: qualia hæc sunt: *Dictus quoque* MONVLPHVS *Pontifex, omnium prædiorum suorum* S. SERVATIVM *fecit hæredem.* & sub finem: *Regressus verò Pontifex glorioſus, super vniuersis Christi beneficiis circa sanctum & inclytum* SERVATIVM, *etiam suo tempore frequentiùs factis, lætatus est valdè: &, sicut dignum erat, mirabiliter glorificabat eum in auro & argento, in vniuersis etiam quibus in ministerio opus erat diuino: addidit familiam, addidit & prædia, quibus in his terrenis possessionibus erat ditissimus. Qui tandem videns sibi imminere finem vitæ, non timuit, non expauit; sed confortatus in Domino, omnem Clerum, omnemq; populum, per triduum sine intermissione docuit & monuit, vt semper parati essent occur-*

rere Christo, quasi venienti ad iudicium. Omnibus verò dignè peractis, in medio ECCLESIÆ, *in quâ ferè* XL *annis fuerat* EPISCOPVS, *designauit locum suæ sepulturæ: vbi vitæ huius termino feliciter transacto, sepultus est cum magno honore.* Ita MSS. Qui in illis sunt *anni ferè* XL, Ægidius exprimit *per* XXXIX *circiter.* Alia Acta MSS. habemus hoc exordio: B. DOMITIANO *humanis rebus exempto, Fratres carissimi,* S. MONVLPHVS, *cui nobilitate & sanctitate non erat secundus, in Pontificali regimine sanctæ* TRAIECTENSIS ECCLESIÆ *iam* XXI *successit.* Reliqua vtcumque cum alterâ & additionibus Ægidij conueniunt.

B. MONVLPHVM *sequitur electio pretiosissimi Confessoris Christi & Antistitis* B. GONDVLPHI, *qui moribus, continentiâ & eruditione, nullo priorum inferior, nullo ignobilior, dignè sanctam regebat Traiectensem Ecclesiam multorum temporibus annorum.* Ita Acta MSS. & Ægidius in additionibus ad Harigerum. Et hæc de eius electione, dein additur: B. MONVLPHO *de medio facto, illa ab vniuersis ciuibus electus, ipse ab vniuerso regno in solium Pontificale erectus, consecratur Episcopus, omnique depositâ temporalium diligentiâ rerũ, totus fertur in Deum.* Hæc de obitu eius traduntur: *Ad supernæ repromissionis gaudia, ad æternæ beatitudinis præmia, tandem illum Domino vocante,* VII *Kalendas Augusti migrauit. Et quia non impar est meritis, iuxta suum prædecessorem* MONVLPHVM *sepelitur in medio Ecclesiæ viri glorioſissimi* SERVATII. Auctor magni Chronici Belgici *ex fidelioribus,* vt volunt, *Chronicis Tungrensium,* & XII TRAIECTENSEM EPISCOPVM statuit, & *Traiecti iuxta* S. MONVLPHVM *sepultum.* Quem etiam *illic locum sepulturæ habuisse,* scribit Harigerus.

Eodem modo SS. PERPETVVS & EBREGISVS, qui seculo VII floruerunt, in magno Chronico Belgico & Additionibus Ægidij dicuntur *Ecclesiæ Traiectensis Episcopi.* quorum ille

Dionan-

Dionanti, iſte Trumoniæ, vt ſuprà dictum eſt, ſepultus. Conſentiunt & Acta MSS. S. PERPETVI.

V

Traiectenſium Epiſcoporum publica in ſuâ Eccleſiâ veneratio. Qui ante S. SERVATIVM, *an propriè Tungrorum Epiſcopi?*

DE Epiſcopis quos iam commemorauimus, *Vnum hoc*, inquit Fiſen lib. 2 ſect. 26, *ſupereſt illuſtre monumentum, omnes ab Eccleſiâ Traiectenſi Sanctorum honoribus coli.* Adde & illuſtre argumentum, eos ad illam Eccleſiam pertinere, quæ ſola eos colit. Diem natalem ſingulorum indicauimus libro ſuperiore. In veteri *Breuiario ſecundùm ordinarium Eccleſiæ S. Seruatij* celebratur VI *Februarij* feſtum *Duplex*, vt vocant, *omnium Pontificum Traiectenſium*, de quibus hæc extat Oratio, à Molano etiam relata.

Propitiare nobis, quæſumus, Domine, famulis tuis, per ſanctorum Confeſſorum tuorum, Seruatij, Monulphi, Gondulphi, Martini, Valentini, Candidi & Amandi, & aliorum, qui in præſenti eccleſiâ requieſcunt, merita glorioſa, vt eorum piâ interceſſione ab omnibus ſemper protegamur aduerſis.

Verùm *Martinus* ac *Valentinus* inter Epiſcopos Traiectenſes haud cenſentur: ſunt enim ex iis, qui Tungrenſi Cathedræ ante *S. Seruatium* præfuiſſe traduntur, hoc ordine: I *S. Maternus*. II *S. Nauitus*. III *S. Marcellus*. IV *S. Metropolus*. V *S. Seuerinus*. VI *S. Florentius*. VII *S. Martinus*. VIII *S. Maximinus*. IX *S. Valentinus*. Eorum corpora in ſuam vrbem allata aiunt Traiectenſes. Alij quidam auctores, Treuirorum fuiſſe

Epiſcopos volunt, ſed ſacra Tungris quoque curaſſe. Nam in Treuirenſibus Catalogis iidem omnes, ſiue iiſdem nominibus alij, habentur, hac ſerie, hiſque diebus adſcripti: poſt SS. Eucharium & Valerium, tertius *S. Maternus* Epiſc. Conf. XIV Septembris. XVIII *S. Nauitus* Ep. Mart. VII Iulij. XIX *S. Marcellus* Ep. M. IV Septembr. XX *S. Metropolus* Ep. M. VIII Octobris XXI *S. Seuerinus* I Ep. M. XXIV Octob. XXII *S. Florentius* Ep. M. XVI. Octobr. XXIII *S. Martinus* II Ep. M. XXI Iunij. XXIV *S. Maximinus* I Ep. M. XX Iunij. XXV *S. Valentinus* Ep. M. XVI Iulij. De horum pleriſque diſertè annotat Chriſtophorus Brouwerus, Tungris eos & Treuiris ſediſſe; illudque de quodam, ex Faſtis Treuirenſibus recitat:

Et geminas vrbes tenuit, geminaſq; Cathedras.

At cùm Treuirenſes non inuiti cum Tungrenſibus eam communicent gloriam Cathedræ, quam in vtraque vrbe, ad diuerſas licet prouincias ſpectante, ſui tenuerint Antiſtites, eam his detrahunt, ſi Deo placet, qui *antiquiſſimæ Sedis Tungrenſis nobilitatem* tueri ſe profitentur. Bucherius, quaſi fieri non potuerit, vt ambas eas Ciuitates iidem regerent Antiſtites, ita pronuntiat cap. 3 Diſputationis hiſtoricæ: *Si quis coniecturæ locus eſſet, longè potior Treuirenſium conditio foret. Quotquot enim Sanctorum Natales ſuis diebus adſcripſerunt, Beda, Ado, Vſuardus, Molanus, ac Romanæ potiſſimùm Martyrologij tabulæ, dum Natales eorum memorant, ad Treuiros referunt, ac Treuirorum appellant Epiſcopos.*

Spendidiùs quàm ſolidiùs iſti allegantur auctores. Nam neque Ado neque Vſuardus, vllum horum ſanctorum Præſulum in ſuis Martyrologiis recenſent. Beda ſolum MATERNVM, quem Treuiris tribuit. Eumdem Romani Martyrologij tabulæ, cum hoc elogio, quod forſan Baronius concinnauit: *Treuiris* S. MATERNI *Epiſcopi, diſcipuli* B. PETRI *Apoſtoli,*

qui

qui Tungrenſes, Colonienſes & Treuirenſes, alioſq́ finitimos populos ad Chriſti fidem perduxit. Habent eædem Tabulæ *S. Florentinum Epiſcopum*, pro Florentio, XVI Octobris, & *S. Valentinum Ep. ac Martyrem*, XVI Iulij: item *S. Seuerinum Ep. Conf.* XXI Decembris, qui huc non ſpectat, ſed ad tempora Dagoberti I Regis; eſtque *Seuerinus* II. Et ij quidem Treuiris adſcribuntur. De S. MARTINO autem iſta habet idem Martyrol. Romanum XXI Iunij: *Apud Tungrenſes* S. MARTINI *Ep.* Baronius in Notis, Molani ad Vſuardum additiones citat, quæ ita eum referunt: *Eodem die* S. MARTINI *Tungrenſis Epiſcopi & Conf. qui conuertit Hasbanos, & multis claruit miraculis.* Addit in ſuis Notis Baronius: *In tabulis Epiſcoporum Tungrenſium ſeptimus hic ponitur ordine, Hasbanorumq́ Apoſtolus appellatur: eumq́ obiiſſe tradunt anno Domini* CCLXXVI. Heus boni, quid ni hîc obclamatis, errare Eminentiſſimum Scriptorem; nullos præter SERVATIVM fuiſſe Trungrenſes Epiſcopos, nullas germanas tabulas eſſe, *viceſimum tertium in tabulis Epiſcoporum Treuirenſium* ſcribi oportuiſſe? Sed pertexamus cœptum Catalogum ſcriptorum atque Epiſcoporum. Molanus, qui quintus erat à Bucherio citatus, Treuiris aſſignat *Maternum, Nauitum, Marcellum, Metropolum, Seuerinũ* I *Martyrem* XXIV Octobris; & citat ſubinde *proprium Epiſcopatus Treuirenſis*, ſubinde *quoddam Martyrologium*: at Tungris, vt iam diximus, S. MARTINVM tribuit. S. MAXIMINVS in nullo citatorum auctorum habetur.

Collabaſcit ergo contra Tungrenſes Epiſcopos erecta machina, quando citatorum quidam nullos eorum Epiſcoporum, de quibus quæſtio eſt, nominant; quidam vnicum, alij ſaltem non cunctos Treuiris tribuunt; neque quos tribuunt, eoſdem eſſe aiunt, quos ſibi Tungri vindicant; & vnum omnino omittunt.

At neque ſatis capere vnquam potui, cur IX illi Sancti

dicti sint *Tungrenses Episcopi*, si Treuirenses, & nulla apud Tungros Episcopalis Cathedra vsque ad S. SERVATIVM fuit. Nemo enim (vt exemplis antè positis vtar) in Episcoporum Gandensium Catalogo reponet S. ELIGIVM, quia sub eo olim fuerit ciuitas Gandensis, priusquàm proprium ipsa Episcopum haberet. Meritò tamen idem in tabulis Episcoporum Tornacensium adscribetur ELIGIVS, quia Tornaci anteà Episcopi fuerant, quorum tunc Cathedra erat Episcopo Nouiomensi commissa. Id si Tungris factum, proferantur ergo qui propriè illic sederunt Episcopi. Deinde si S. MATERNVS, Apostoli PETRI discipulus, Episcopus Tungrensis est habitus, cur non & XIV alij eius successores, vsque ad S. NAVIIVM?

Fatebor, sæpè mihi in mentem venisse, eos fortassis qui-Tungrenses Episcopi appellantur, verè Tungris solùm Episcopos fuisse, & nomina posteà in tabulas Treuirenses intrusa: aut certè, si Treuirenses tabulæ mendâ carent, alios iisdem nominibus apud Tungros extitisse, etiam MATERNVM alium; licet MATERNVS I Apostolus Tungrorum, vti & Vbiorum, aliarumque gentium fuisse videatur. Nam si Coloniæ MATERNVS II extitit, qui Concilio Arelatensi anno CCCXIV interfuit; cur non & Tungris potest alius extitisse, etiam multò priùs, à Magno MATERNO denominatus?

Quibus hæc coniectura non placet, caussam afferant, cur à tot iam seculis recepta illa opinio sit, de Episcopis, qui propriè Tungrorum ante S. SERVATIVM fuerint. Iam enim ante IↃCLX annos, tempore Notgeri & Harigeri, illud certum & indubitatum habebatur. Cur deinde Confessores ab Ecclesiâ Tungrensi & Traiectensi censentur, si ijdem sunt, quos Treuiri aiunt Martyres fuisse? Cur multi aliis diebus coluntur, atque à Brouwero consignati Treuirenses

ſes, ex Martyrologiis, vt citat & Faſtis Eccleſiæ Treuirenſis?

VI

SS. IOANNES AGNVS, AMANDVS, REMACLVS *Epiſcopi Traiectenſes ab antiquis habiti.*

HActenùs nobis non omnino forſan clara lux affulſit, quæ nebulas omnes, ab ſitu ipſo rerum vetuſtiſſimarum, & ſcriptorum aliquâ imperitiâ, obiectas valeret penitùs dimouere. Deinceps meridiana lux ſplendebit, larga ac pura; productis eorum teſtimoniis, qui vel ipſorum ætate Antiſtitum, de quibus ſermo eſt, vel non multò pòſt, vixerunt.

Baudemundus diſcipulus S. AMANDI, atque ab eo Abbas Blandinienſium conſtitutus, de mòrte S. IOANNIS AGNI, ſuffectoque ei S. AMANDO, ita ſcribit: TREIECTENSIVM *Epiſcopus migrauit ad Chriſtum. Rex adregendum* TREIECTENSIVM *Eccleſiam* AMANDVM *propoſuit.* Auctor Aquitanus ex MS. Andreæ Cheſnei, *Contigit*, inquit, *vt* TRAIECTECTENSIVM *Epiſcopus moreretur. Tunc vir Dei* AMANDVS *à Rege coactus, & à Sacerdotibus iuſſus, & à populo electus,* TRAIECTENSIVM *Eccleſiam regendam ſuſcepit.* Milo Poëta lib. 3 ſub hoc titulo, *Vbi Sanctus Eccleſiam* TREIECTENSIVM *ad regendum ſuſcepit*, ita cecinit ante annum Chr. IↃCCCXL.

Angelus euexit celſi trans ſidera cæli
Pontificem, cuius SEDEM TREIECTVS HABEBAT.
Quo Rex comperto, Sanctum accerſiuit Amandum:
Plurima Pontificum conducens agmina ſecum,
Præſulis ad tanti ſolennia iungit honores.

Interèa

Intereà Sanctus sacrâ sublimis in arce
Ducitur ac trahitur, iam DICTA IN SEDE *locatur.*

Harigerus Abbas Lobiensis (quem *hortante Notgero Episcopo Leodiensi* circa annum CIↃ *historiam suam magnâ diligentiâ scripsisse*, tradit Fisen lib.2.cap.2) hæc habet cap.44: *Post hæc* B. IOANNE TRAIECTENSI *Episcopo ad superna translato, Rex Dagobertus conuocatis Sacerdotibus plurimis*, S. AMANDVM TRAIECTENSIBVS *præfecit.* Philippus ab Eleëmosynâ in eiusdem Vitâ: *Post decessum* B. IOANNIS TRAIECTENSIS EPISCOPI, *feruente circa virum Dei Dagoberti* (imò Sigeberti) *Regis affectu, electione Cleri, petitione populi, honoratorum assensu, comprouincialium voto, seruus Domini reuerenter & instanter expetitur, renitens & inuitus trahitur ad Cathedram, & pastorali curâ dignus omnium voce & desiderio conclamatur.*

Fisen lib.3 Historiæ Leodiensis, de S. AMANDO agens, substituit vbique *Tungros.* cap. 18 *Diœcesim Tungrensem* & *Diœcesim Tungrorum.* c.20 *Tungros excultos.* c.23 *Ecclesiam Tungrensem.* c.27 *Curam Ecclesiæ Tungrensis in Landoaldum reiectum.* c.32 *iacturam Ecclesiæ Tungrensis à tanto Præsule deseri.* In Floribus Ecclesiæ Leodiensis VI Februarij in Vitâ S. AMANDI ait hunc c.3 *Tungrorum Episcopum creatum, cùm* IOANNES AGNVS *Tungrorum Episcopus diem suum obijsset.* ibidem scribit *susceptum Tungrensem Episcopatum, Tungrensem Ecclesiam.* & cap.4 *curam Tungrensis Ecclesiæ* &c. At studiosè nomen vrbis Traiectensis declinat, cuius ne in solo quidem titulo meminit, citato etiam Baudemundo Vitæ S. AMANDI scriptore, & Molano. De illo anteà egimus, qui nusquam *Tungrorum* meminit: apud hunc autem non potest Fisen non legisse verba hæc antiqui Martyrologij monasterij Elnonensis, vbi sepultus AMANDVS est: *In Pabulâ, Elnone monasterio, depositio* S. AMANDI *Traiectensis Episcopi & Confessoris* &c. Vsuardi omnia

exem-

exemplaria typis excusa & manu exarata, etiam antiquissima tam nostra, quàm Parisiensia monasterij S. Germani, de quibus egimus in Præfatione generali ad Ianuarium cap. 4 § 7, coniungũt SS. VEDASTVM & AMANDVM, *quorum prior Adartensium*, siue Atrebatensium, *sequens verò Traiectensium rexit Ecclesiam*. Vsuardi verba hactenùs retinet in Martyrologio Ecclesia Romana, sed *Atrebatensium* Episcopum facit, qui Vsuardo *Adartensium* est. Eadem leguntur in Adonis MSS. exemplaribus monasteriorum S. Laurentij Leodij & Lobiensis.

AMANDO substitutus est S. REMACLVS XVIII Episcopus Traiectensis, cuius Vitam, III Septembris dandam, scripsit Notgerus Episcopus Leodiensis, ordinatus anno IↃCCCCLXXI, vitâ functus CIↃVII. Eodem auctore Notgero habemus Vitam S. LANDOALDI Archipresbyteri, ad diem XIX Martij illustrandam, cuius etiam nomine Epistolam dedicatoriam ad Werinfridum Abbatem Stabulensem edidit Harigerus Abbas Lobiensis ante Historiam, siue Gesta Episcoporum Tungrensium & Traiectensium, vbi eamdem S. REMACLI Vitam ex Notgero describit. Et quamuis hi duo auctores tribus seculis à S. REMACLO distent, tamen excerpemus quid de hac re senserint ipsi, alter Leodiensis Episcopus, alter eiusdem Episcopi domesticus. Apud Notgerum ergo, *B. Ioannes Tungrensium vel Traiectensium feliciter regens Pontificatum, hominem exuit.* Tunc *inclytus Rex* S. AMANDVM *fecit in* TRAIECTENSIVM CATHEDRA *sublimare.* Surius, *in Traiectensi cathedrâ collocare.* In Vitâ S. Landoaldi: TRAIECTENSIVM CATHEDRÆ *præsidere fecit.* Harigerus: B. IOANNE *à corpore decedente*, B. AMANDVS *ei in* PONTIFICIO TRAIECTENSI *successerat.* Notgerus etiam in vtraque Vitâ: *Quantâ temporis intercapedine plebs Traiectensium fuerit sine Pastore*

ſtore, aut *ſine Paſtorali benedictione*. Deinde, *Plebs Traiectenſium cum electione communi Sacerdotum, cum frequentiâ & audientiâ Magnatum, cum vociferatione etiam & acclamatione omnium Ordinum, obtulit tale precum ſuarum votum, neminem ſibi debere, niſi Beatum præeſſe* REMACLVM. Eadem habet Harigerus. Quare, teſte Notgero, *ſanctus Sacerdos metuens ſanctioni contraire Diuinæ, licet nolens, ſeptimus & vigeſimus Tungrenſium vel Traiectenſium ſubſtituitur Epiſcopus*. Aſt apud Harigerum, *multorum victus inſtantiâ, viceſimus ſeptimus* TRAIECTENSIVM *ſubſtituitur* EPISCOPVS. nuſquam factâ menſione *Tungrenſium*, vt ſuſpicio eſſe poſſit, vocem eam à poſteris in Notgeri ſcripta intruſam: quâ tamen retentâ indicatur S. REMACLVM, qui XVIII Epiſcopus Traiectenſis erat, annumeratis IX Epiſcopis Tungrenſibus, fuiſſe XXVII Epiſcopum ab exordio Epiſcopatus, cuius CATHEDRAM perpetuò Notgerus in vtraque Vitâ TRAIECTI collocat. Denique ſicut Notgerus in diplomatis *Epiſcopus Tungrenſis & Leodienſis*, nominatur, ita S. REMACLVM ipſe *Tungrenſem & Traiectenſem* appellat.

Harigeri Hiſtoriam in S. REMACLO finitam, Anſelmus Canonicus Leodienſis, illo annos quinquaginta iunior, continuauit, hoc exordio: *Huc vſque Geſta Tungrenſium Traiectenſiumq; ſunt digeſta*. Vnde toti operi vtriuſque auctoris, Harigeri & Anſelmi, in omnibus MSS. codicibus rectè præfixus eſt, atque à Ioanne Chapeauillo Canonico & Vicario Leodienſi editus eiuſmodi titulus: *Geſta Pontificum Tungrenſium*, ſcilicet vſque ad S. Seruatium, *Traiectenſium*, vſque ad S. Hubertum, & deinceps *Leodienſium*. Codices illuſtriores MSS. allegat Chapeauillus paginâ III, in monaſteriis Aureæ-Vallis, Alnenſi, & Cruciferorum repertos. Ioannes Roberti *certè ſibi conſcius*, vt aſſerit, *ſe ſine affectu ſcripſiſſe*, eraſis

sis Traiectensibus, notatione XV, paginâ CXVII hæc scribit: *Tres tomi Episcoporum Tungrensium & Leodiensium, à Ioanne Chapeauillo Canonico Vicario Leodiensi ex aliquot auctoribus antiquis editi, qui cùm MSS. quibus vsus sum, per omnia bellè conueniunt.* Si *per omnia*, ergo etiam in titulo. in quo etiam, vt apud Chapeauillum, *Episcopi Traiectenses* exprimendi erant.

VII

SS. THEODARDVS, LAMBERTVS, HVBERTVS, *à Scriptoribus coæuis, aut valdè antiquis, Episcopi Traiectenses appellati.*

REMACLO *successit in* SEDE TRAIECTENSI S. THEODARDVS XXVIII. Ita Anselmus annumerans nouem priores ante S. SERVATIVM. Ast Episcopus Traiectensis XIX fuit: cuius Vitam fatetur Sigebertus Gemblacensis *vrbaniore se stylo melioraſſe*. In antiquioribus Actis S. LAMBERTI Sedes Traiectensis S. THEODARDO satis perspicuè attribuitur. Ei succeſſit

S. LAMBERTVS, vrbis Leodiensis, totiusque Diœcesis primarius Patronus, Episcopus Traiectensis XX. Huius Vitam primus scripsit Godeschalcus, Ecclesiæ Leodiensis Diaconus, iussu Agilfridi Episcopi anno IↃCCLXI ordinati. Godeschalcum sub Regibus Pipino & Carolo Magno claruisse testantur infrà citandi Nicolaus & Renerus. Extat ea Vita à Chapeauillo post memoratam Anselmi historiam edita à paginâ CCCXXI. Cuius I cap. ita scribit: *Eodem tempore Diuinæ dispensatione prouidentiæ, summus Pontifex* THEODARDVS, *oppidi* TRAIECTENSIS CATHEDRÆ *Pontificali præsidebat: pater eius*

(S. Lamberti) *commendauit eum præfato Antiſtiti, Diuinis dogmatibus & monaſticis diſciplinis in aulâ regiâ erudiendum. Poſtquàm autem ipſe adoleſcens per doctrinam* THEODARDI *ſapiens effectus eſt* &c. Huius electionem cap. 2 ita proſequitur: *Interfecto autem prædicto Antiſtite* THEODARDO, *copioſa multitudo virorum in regione illâ habitantium, & cognoſcentium fidem, opera & conuerſationem nobiliſſimam* S. LAMBERTI, *clàm de eo mutuò loquens, eligere eum ad Pontificalem Sedem diſponebat. Ergo Optimates eius illuſtres viri, qui eo tempore Rectores Palatij videbantur, glorioſo Hilderico Regi famam* B. LAMBERTI *innotuerunt, & actus eius non ſilentes, ſed teſtimonium de eis perhibentes, ſuaſerunt: vt quia dignus erat ſacerdotio fungi, & onus pontificale accipere, in loco Epiſcopali ordinaretur. Huius itaque effectum illorum petitio, libenter obtinuerunt, quod deuotis mentibus poſtulauerunt. Tunc per totius plebis in Spiritu ſancto vnum conſilium, & ſimul Regis imperium, fauente Domino, à quo iam dudum electus erat, ſubrogatus eſt, vt præeſſet* ECCLESIÆ TRAIECTENSI. Et aliquibus interpoſitis, narratâ etiam Childerici Regis cæde, ac depoſitione *S. Lamberti de Sede Pontificali, Pharamundum*, inquit, *in Cathedrâ illius conſtituerunt.* Dein 4 cap. *Poſt ſeptem verò*, ait, *annos expletos, Pharamundus de Sede Pontificali & de prouinciâ* TRAIECTENSI *depoſitus atque repulſus eſt. Tunc agmina Clericorum, & vulgus promiſcuum populorum & plebium, ſummâ voce & deuotis precibus, vt Paſtorem eorum, id eſt,* D. LAMBERTVM *reciperent, vnanimes Dominum rogabant. In illo tempore Princeps Pipinus in plurimis regionibus & ciuitatibus Europæ regnans, auditis operibus beati viri, ſub vnius diei articulo inſſit eum cum magno honore ad* PROPRIAM SEDEM *reuocari.* Et indicatâ omnium de eius reditu exultatione, pergit: *Regreſſus autem Dominus Apoſtolicus ad* VRBEM PROPRIAM, *inſtitutionis ſuæ normam quotidie in bono promouebat,* vti ſequentibus capitibus

tibus refertur. Ac tandem post cædem eius narratam: cap. 10 de sacro corpore Traiectum deuecto sepulcróque hæc tradit: *Pauci itaque, qui euaserant hostium manus, raptum corpus exanime, vili operimento contegunt, & nauigij euectione Traiectum deferre disponunt, quæ* VRBS EPISCOPALIS SEDIS *apud se eum reposcebat ex debito humandum. Cuius audito excessu, priùsquàm* TRAIECTVM *attingeret, constipata multitudo totius regionis, vtrisque ripis Mosæ fluminis commeans, prosequebatur nauim descendentem, per decursum eiusdem aluei, ingemiscens de Pastoris iniustâ nece, & de Pontifice sublato.* Ac variis lamentis adiunctis, addit: *Ergo cùm corpus sanctum in portu naui expositum, feretro susceptum esset, basilicæ S. Petri tumulandum fertur. Porrò Clerici cùm hymnis, populus cum lamentis, excubias vicissim ibi egerunt, noctem pernigiles ducentes. Crastino autem die non audentes in decorando honesto cultu sepulchro eius immorari, in tumbâ patris eius Apriibidem quiescentis, non tam condiderunt, quàm absconderunt.* Et cap. 14 acturus de Translatione corporis S. LAMBERTII ita incipit: *Suffragante Deo, narrare volumus, quod nuper,* ipso (vt probabile est) viuente Godeschalco scriptore, *post aliquot annos* S. LAMBERTVS *cuidam viro venerabili apparens dixit, corpus suum Leodium transferri oportere ... Sanctus autem* HVBERTVS, *quondam illius discipulus, Pontificatum procurans ... veneranda membra Christi Martyris, odore suauissimo fragantia, salua & intemerata inuenit: quæ cum timore & honore, imo de sepulchro eleuans, pretiosis vestimentis inuoluit; ea verò, quibus fuerat tempore sepulturæ indutus sub sigillis signata, reposuit. Hinc inde Fratrum fideliter psallentium chori suauissimâ organorum & cymbalorum modulatione concinebant, & hinc Angelica agmina psallentia, & de triumpho sancti Martyris Deum laudantia, ab idoneis testibus & visa & audita sunt. Et populus Traiectensis concentu & gemitu, antiphonarum quoque lugubri prosecutione concrepuit, præ magnitudine mœstitiæ vix hæc*

sequentia lamenta prosequens: O PASTOR *bone, cui hanc plebem seruandam committis! O dulcedo pauperum! O fortitudo debilium! O lumen oculorum! O sustentaculum nutantium, noli deserere eos, quos diuinis verbis, & exhortationibus spiritualibus, more patris filium corrigentis, consolabaris.* Hactenùs Godeschalcus, Diaconus Leodiensis, qui eodem quo S. Lambertus Martyr occubuit, vixit seculo, fortè etiam ante cædem illius natus: cuius vnius testimonia hæc sufficiunt, dum *Traiectum* appellatur *Vrbs Episcopalis Sedis, Vrbs propria* & *Sedes propria Episcopi S. Lamberti.* & vicevers*â* *Cathedra* & *Sedes Pontificalis Vrbis* & *oppidi Traiectensis.* Eodem modo *S. Lambertus* vocatur *Episcopus Ecclesiæ Traiectensis*, *Pastor Traiectensium*, & *populi Traiectensis*, eiusque diœcesis *prouincia Traiectensis.*

Si quæ tamen Godeschalco, quia Diaconus solùm Leodiensis nominatur, desit auctoritas, eam firmabit sustentabitque *Stephanus, consanguinitati Caroli Simplicis Regis Francorum affinis* (vt ex huius diplomate infrà constabit) ordinatus *Episcopus Leodiensis* circa an. DCCCCIII, vitâ functus anno IↃCCCCXX, & ipse scriptor Vitæ S. Lamberti Episcopi Traiectensis, à Chapeauillo à paginâ CCCLI editæ. eius Vitæ I cap. *S. Lambertus Traiectensi vico extitit oriundus.* & cap. 2 *Pontifex* THEODARDVS *& clarissimus Christi Martyr futurus, vir sacerdotali reuerentiâ plenus, & coram Diuinis conspectibus Sacerdos beatificandus, in memorato superiùs vico Episcopalem administrabat dignitatem. Huic memorabilis adolescens* LAMBERTVS, *nobilitate cluentissimus, formâ corporis elegantissimus, commendatur in aulâ regiâ educandus.* Godeschalcus suprà Traiectum vocârat *vrbem:* quam hic *vicum* nominat, vel quia muris cincta non erat, vel à voce Teutonicâ *VVyck*, quod sinum fluminis aut maris significat, vt videre est in pluribus Belgicis locorum nominibus, vt *Kentvvyck*, celebre oppidum ad

Cantiam

Cantiamvamnem; *VVyck te Duerſtede*, Batauodurum &c. Inde & *VVyck* oppidum è regione Traiecti, ſeu pars eius Tranſmoſana, à ſinu Moſæ nomen accepit. At cap. 3, *Poſtquàm verò ab impiis interfectus, palmam beatitudinis Sanctus percepit* THEODARDVS, *fidelis* TRAIECTENSIVM *caterua, pio* PASTORE *viduata, cœpit vehementer perquirere alium ſimilem ſanctitate, quem in eius loco poſſet ſubrogare. Diu quæſitis ſcrutatiſq; omnibus diligenter, ſanctior nemo inuentus eſt* LAMBERTO. *Hunc itaque ditatum honoribus ſanctimoniæ, illuſtratum commerciis parſimoniæ, Spiritus ſancti præeunte clementiâ,* PLEBS TRAIECTENSIVM *pariter congregata,* EPISCOPVM *ſieri* ELEGIT, *& in loco Magiſtri ſuccedere acclamauit. Regalis quoque Celſitudo, ac Palatinorum Procerum multitudo, eius opinione cognitâ, illum in* SOLIO PONTIFICALI *conſtituerunt ſublimari.* At S. Lamberto onus illud detrectante, *Traiectenſium caterua*, ac dein *omnes ſimul dixerunt: Lambertus ciuis noſter, operum plenitudine celeber, oportet vt ſiat* EPISCOPVS NOSTER. *Sic voluntas eſt Dei, ſic Principes ſtatuunt regni. Illum omnis eligit Clerus, vniuerſus acclamat populus: Non nos, Lamberte, diutiùs protrahas; ſed pro certo ſcias, quia, velis nolis,* NOSTER EPISCOPVS *eris, &* TRAIECTENSIVM PASTOR *vocaberis... Ita Dei dexterâ exaltatus, & Epiſcoporum benedictione conſecratus, in* TRAIECTENSIS ECCLESIÆ *faſcibus venerabilis* LAMBERTVS *Pontifex eſt inſtitutus.* At cap. 4, *longè latéq; eius ſanctitatis diffusâ opinione, peruenit ad notitiam Regis Childerici, qui eo tempore inter Francigenas ſceptrum obtinebat regni, quòd* LAMBERTVS ECCLESIÆ TRAIECTENSIS PASTOR, *in famulatu ſummi Creatoris ſupereminens haberetur mortalibus cunctis.* Ac nonnullis interpoſitis, *Lambertus Sacerdos Chriſti inclytus, debiti honoris priuatur dignitatibus, ac de Pontificali Cathedrâ vir celebris eiicitur. & Suggeſtum Traiectenſis Eccleſiæ latro Pharamundus inuaſit ineptè.* Verùm,

vt cap. 7 dicitur, *infelix inuasor Ecclesiæ Traiectensis, Pharamundus videlicet, filius iniquitatis, falsò nuncupatus Pastor ouium, appellandus meritò angelus tenebrarum, suis exigentibus culpis, plurimorum criminatus conuiciis, expulsus est à Pontificali Cathedrâ, & ab eadem eiectus prouinciâ*, id est, diœcesi. Dein cap. 8 *Venientes illi, qui à Rege fuerant missi, Lambertum Sacerdotem huiuscemodi verbis sunt allocuti: Te, Pater, Rex obsecrat, omnisq; populus flagitat, vt à monasterio exeas, gregem, quem non sponte dereliquisti, recipias, & opus Domini, vt inchoaſti, perficias . .. Hinc ergo beatissimus Confessor* LAMBERTVS *felix commercium aggressus, ad* PROPRIAM SEDEM *est reuersus. Sic exul sacratissimus, ac inenarrabili patientiâ plenissimus,* GREGEM SVVM *recepit, magnificè protexit, & indefessè custodiuit . . . Ita miles emeritus, vir præ maximâ tribulatione purgatus, ouium suarum vocibus attollitur, & in* CATHEDRA TRAIECTENSIVM *decenter relocatur.* Hæc Stephanus Episcopus Leodiensis, à quo agnoscitur TRAIECTI PONTIFICALIS CATHEDRA, SOLIVM PONTIFICALE, & PROPRIA SEDES S. Lamberti, *Traiecti Episcopalis dignitas, Plebs Traiectensis Episcopum* ELIGIT. Ipse *Pontifex Ecclesiæ Traiectensis, Pastor Traiectensium, Pastor Traiectensis, & Noster Episcopus* à ciuibus compellatur, *relocatur in Cathedrâ Traiectensium.* Vocatur & Pharamundus inuasor *Ecclesiæ Traiectensis*, eiusque Cathedra *Suggestum Ecclesiæ Traiectensis.*

Tertiam Vitam S. Lamberti scripsit Renerus ad S. Laurentium Leodij monachus, à Chapeauillo à pag. ccccxi editam. In hac cap. 2 *Landoaldus à Martino Papâ Romanorum S. Amando* TRAIECTENSIVM EPISCOPO *ad auxilium exercendæ pietatis deputatus. .. Remaclus* CATHEDRAM TRAIECTENSIVM ECCLESIÆ *suscepit.* & cap. 4 S. Theodardo TRAIECTENSIVM EPISCOPO *substituto, commendatur etiam huic Lambertus à suo patre,* ac relato martyrio S. Theodardi additur cap. 7: *Qui*

TRA-

TRAIECTENSIVM ECCLESIÆ *substitui deberet* EPISCOPVS, *multùm deliberabatur in Ecclesiâ Dei... Iamq; paullatim sermo de palatio ad Ecclesiam, ab Ecclesiâ ad populi frequentiam discurrebat, nullum Lamberto meliorem esse, ac per hoc, nullum* EPISCOPATV TRAIECTENSIVM *esse digniorem.* Ac multis interpositis, cap. 10 *Fertur Colonienſis Episcopus... Clericum Ecclesiæ suæ Pharamundum ad* EPISCOPATVM TRAIECTENSEM *contra ius & fas passus promoueri.* Verùm *euoluto septennio*, vt cap. 13 dicitur, *Traiectensis mercenarius Pharamundus, tandem iustâ Cleri & populi abdicatus sententiâ, non tantùm ab Ecclesiâ Traiectensi, sed etiam à totâ Prouinciâ expellitur. Illicò omnium ad cælum tollitur oratio, omnium ad Principem Pipinum oratio dirigitur, ne amplius Traiectenses pij Patris* LAMBERTI *careant solatio. Placet iusta petitio Principi, & edicit Pastorem ouibus suis restitui. Ita miles emeritus, permaximâ tribulatione purgatus, omnium suorum vocibus attollitur, & in* CATHEDRA TRAIECTENSIVM *decenter relocatur.* Hæc Renerus, apud quem hæ voces eminent: *Cathedra Ecclesiæ Traiectensis, Cathedra Traiectensium, Episcopatus Traiectensis,* & *SS. Amandus, Remaclus, Theodardus, Lambertus, Episcopi Traiectensium.*

Renero antiquior est Anselmus antè memoratus Canonicus Leodiensis, qui suam à S. THEODARDO historiam exorditur; & hæc cap. 2 tradit: *Beatus igitur* THEODARDVS *sub* B. REMACLO *Ecclesiasticis disciplinis informatus, Magistro Pontificatus honorem, arctioris vitæ desiderio, sponte declinanti, in* SEDE TRAIECTENSI XXVIII *succedit.* & cap. 5, *Huic successit semper memorandus venerabilis noster Patronus* LAMBERTVS.... cuius narratâ origine *ex nobilissimâ Traiectensium stirpe*, atque *à* SEDE CATHEDRALI *expulsione*, vitâque Stabulai actâ, hæc refert cap. 8. *Non multò pòst deuotio filiorum Ecclesiæ Traiectensis, commissi Pastoris damnum seriò reminiscitur, tandemq; detrectans*

ctans impiissimi iugum supplantatoris, qui per septem iam annos oues Dominicas indignissimè tractauerat, venerabilem virum LAMBERTVM *vehementissimè reluctantem, maximo conamine de monasterio extractum, ad* SEDEM EPISCOPII *reducunt, exceptum-q; egregio, hinc Deo seruientium, hinc pauperum Christi triumpho, rursus in* CATHEDRA PONTIFICALI *sublimant.*

Denique cap. 21 *successit* S. LAMBERTO *venerabilis Pater* HVBERTVS *in ordine Episcopali* XXX... *Hic cum ossibus* B. LAMBERTI *Leodium transtulit* SEDEM EPISCOPII, *quæ eatenùs habebatur* TRAIECTI. Hæc ille. En *Ecclesia Traiectensis, Sedes Traiectensis, Cathedra Pontificalis, Sedes Cathedralis, Sedes Episcopij eatenùs Traiecti.* Quid clariùs dici potest?

Ægidius à Leodio in additionibus ad Anselmum similia habet; è quibus pauca excerpo. Cap. 2 B. THEODARDVS *in* SEDE TRAIECTENSI *successit: huic* cap. 5 *venerabilis Patronus* LAMBERTVS, quem cap. 8 *filij Ecclesiæ Traiectensis ad* EPISCOPII SEDEM *reducunt.* & cap. 21 *venerandus Præsul* HVBERTVS *à Clero & populo Traiectensi honorificè suscipitur, & in* CATHEDRA PONTIFICALI *inthronizatur. Ipse est,* inquit cap. 27 *qui ab oppido Traiectensi transuexit Leodium* SEDEM EPISCOPII. Hactenùs hi quinque auctores.

En, vt iam diximus, *Vrbs Episcopalis Sedis, Vrbs propria, Sedes propria, Cathedra, Solium, Episcopium, Pontificium, Prouincia, Ecclesia dignitas Episcopalis,* vrbi TRAIECTO attributa; & Episcopi à Clero ciuibusque Traiectensibus electi illique *Episcopi Pastoresq;* TRAIECTENSES appellati. Ac denique id comprobatum testimonio paucorum, sed qui Episcoporum Traiectensium temporibus propinquiores fuêre, aut cum illis vixerunt, dignitate, doctrinâ & sanctitate, cum illâ antiquitate, illustres: scilicet tres Episcopi, *S. Gregorius Turonensis,* & duo Leodienses, *Stephanus* & *Notgerus*; tres Abbates,

tes, *Baudemundus* Blandinienſis, *Harigerus* Lobienſis, *Philippus* Bonæ-Spei; *Anſelmus* Canonicus Leodienſis, *Godeſchalcus* Diaçonus item Leodienſis: monachi quatuor, *Milo* Elnonenſis, *Sigebertus* Gemblacenſis, *Nicolaus* Aureæ-vallis, *Renerus* Leodienſis: qui omnes ferè non fortuitò in eam rem inciderunt, ſed horum Epiſcoporum res geſtas EX PROFESSO tractarunt. Ad hos eximios viros optaſſet Ioannes Roberti hanc ſuam præmonitionem, ex Quæſtione VI Hubertinâ ante indicatam, olim potuiſſe deferri: *Affectum deponite*, viri magni, *qui ad huius Quæſtionis* reſolutionem *acceditis, vt mihi certò conſcius ſum, ſine affectu ſcripſiſſe & ſoli veritati eſſe velificatum.* Quis enim, qui virum nouerit, poſſit ambigere?

VIII

Cathedrâ Epiſcopali Traiecto Leodium tranſlatâ, nomen Tungrorum reſumptum à quibuſdam Epiſcopis.

BArtholomæus Fiſen lib. 5 Hiſtoriæ Leodienſis ſect. 1 *rationes* inueſtigat, quæ *S. Hubertum permouerint*, vt *Cathedram Epiſcopalem Legiam transferret:* (ita Leodium patriam ſuam, Nicolaum ſecutus, appellat) & *hanc coniecturam non improbabilem* cenſet. *Parum è dignitate*, inquit, *Tungrenſis Eccleſiæ videbatur, Epiſcopos iam inde à Tungris dirutis, nullâ certâ Sede viuere: quam nec Traiecti ſtatuere placebat, ne fortaſſis Comites aut Præfecti regij inermem Præſulum auctoritatem impotentiâ ſuâ conuellerent. .. Legiæ Eccleſiam nemine obturbante fruituram omni iure ſuo auctoritateúe.* Hæc Fiſen ne quidem ſuis popularibus probauerit. Nolo Annales Leodienſium omnes

euoluere, nec quæ de Ludouici Borbonij Antistitis temporibus Philippus Cominæus commemorat. Nota adhuc sunt *Haydroitiorum* nomina. Fatentur Traiectenses S. LAMBERTVM, ciuem & Episcopum suum, in exilium actum. Sed quis non accusat rabiem Ebroini, potestate plusquàm regiâ dominantis præ Theoderico Rege, cuius Palatio præfectus erat, seu Maior-Domus? Sciunt etiam Traiectenses, & gloriantur, S. THEODARDVM pro Ecclesiæ defensione Martyrem apud Nemetes occubuisse. At quis Episcoporum Traiecti legitur oppressus, aut vllâ iniuriâ affectus? Contrà norunt Traiectenses S. LAMBERTVM *Leodij à Dodone, de Primatibus Palatinis vno, confixum telo, animam transmisisse Deo*, vt his verbis tradit Godeschalcus Diaconus Leodiensis, & post eum alij. Quo verò auctore didicit Fisen, XX Episcopos, eosque omnes Sanctos, per annos ferè CCCL, *veluti vagos & incerto lare, ac nullâ certâ Sede vixisse?* Aliter Episcopos, aliosque è Clero Leodiensi, suprà locutos fuisse constat, nisi & hos putet *maiore patriæ, quàm veritatis, studio repugnare.*

Sede Traiecto Leodium, seu Legiam, translatâ, num *Episcopi* appellandi sint *Tungrenses, dubitationi locum non modicum esse* idem asserit lib. 5 sect. 3. *Seculis*, inquit, *aliquot sequentibus vix aliud Episcoporum, quàm Tungrensium, nomen fuit vsurpatum. Inuenio qui velint post annos ferme quadringentos quadraginta obtinuisse Henricum* II *Episcopum à Pontifice Augustoq; vt Ecclesiæ Tungrensis nomine deinceps oblitterato, Leodiensis tantùm nominaretur; cùm ad illud tempus Tungris seruaretur Sedes, quam insidere necesse illi esset, qui Episcopio inaugurabatur. In aliud tempus scio alios reiicere.* Hæc ille: quæ vt nec omnia probare possumus, ita quædam nolumus refellere. Fuerat Sedes Traiecti, vrbe primariâ Masacorum, siue in districtu Mosegauiæ, extra ditionem Tungrorum. Cùm ex

illo

illo intra hanc referretur, resumptum nomen Tungrorum videtur, trecentis & amplius annis ab Episcopis anteà non vsurpatum. Erat namque, teste Godescalco Diacono Leodiensi coætaneo auctore, *Leodium villa non magni nominis*, &, quod indicat Fisen, *prædium Ecclesiæ Tungrensis*. Hinc nomen Episcopatui imponere minùs honorificum videbatur: placuit à vicinâ vrbe eiusdem tractus, eâque perantiquâ repetere. Traiecti, vrbe regiâ, principe illius Mosegauiani districtus, qui sederant Antistites, non erat cur à loco eos veluti ignobili acceptæ appellationis pœniteret. Ostendimus suprà à Stephano Episcopo *SS. Theodardum & Lambertum* appellari *Episcopos Traiectenses*, ac *Solium* seu *Cathedram Pontificalem, Sedem Episcopalem*, attributa vrbi TRAIECTO. Idem tamen Stephanus ante Vitam S. LAMBERTI apud Chapeauillum paginâ CCCLI ita Epistolam dedicatoriam exorditur: *Domino Patri Hermanno Archipræsuli Stephanus humilis Tungrorum Episcopus.* En nomen *Tungrorum* resumptum pro Leodiensi, qui Traiectensibus idem minimè tribuerat. In diplomate Caroli Simplicis apud Miræum in Notitiâ Ecclesiarum Belgij, cap. 49 ista de eodem Stephano habentur: *Carolus Diuinâ propitiante clementiâ Rex Francorum, Dudo Virdunensium Episcopus, Raginerus Marchio strenuus, pariter etiam Robertus, nostræ Serenitatis executor fidelissimus, nostram adierunt Excellentiam, poscentes vt interuentu* STEPHANI TVNGRORVM EPISCOPI, *nostræ consanguinitati affinis dilectissimi, partibus sanctæ Dei genitricis* MARIÆ, *almiq; Martyris* LAMBERTI, *traderemus forestem, quæ olim pertinuerat ad Tectis villam, quam dato fisco Zuendipolchus retinuerat ad manum regiam, quamq; constat in pago Luuiensi, atque in Comitatu Sichardi sitam . . . Datum* VIII *Kalendas Septembris, Indictione* III, *anno* XXIII *regnante Carolo Rege Glorioſissimo, redintegrante* XVIII, Christi IↃCCCCXV.

Ita ibi secundùm verba, vt fieri solet, in libello supplici ab ipso Stephano, aut eius nutu posita. Stephano anno IↃCCCCXX, vt diximus, mortuo, *agitata est inter Hilduinum Episcopum & Richarium Abbatem de Episcopatu Tungrensi contentio.* & *anno* IↃCCCCXXII *Richarius, qui Romam profectus fuerat propter Episcopium Tungrense, reuersus est, ordinatus à Ioanne Papâ Episcopus.* Ita in Chronico Flodoardus, qui Presbyter & Canonicus Remensis eodem x seculo floruit. Sed & pridem antè Walcandus in diplomate Ludouici Pij Imperatoris, lato *Aristalis palatio Regio anno* XVIII *Imperij* eius, *Indict.* IX, anno Chr. IↃCCCXXXI *Episcopus Tungrensis* appellatur apud Chapeauillum tomo I pag. 154, cùm ille id forsan libello supplici inseruisset. Quod ibidem pag. 148 recitatur eiusdem Ludouici Diploma, datum *Aquisgrani anno* eius XIII, Christi nimirùm IↃCCCXXVI, *Indict.* VIII, suspectum est, imò suppositititium, quia & characteres illi inuicem non congruunt, (erat enim anno Ludouici Fij XIII, Indictio IV) & mortuus videtur Fulcarius, (cui id datum dicitur) priùs quàm natus esset Ludouicus. At Franco Episcopus, decessor Stephani, vtrumque titulum vrbemque coniunxit, *Tungros ac Leodium, Tungrensem vel Leodiensem Ecclesiam*, vti in diplomate Caroli Crassi anno DCCCLXXXIV legitur apud Chapeauillum pag. 161. Eum titulum alibi idem vsurpasse videtur Notgerus, qui in diplomatis Imperatorum Ottonis III & S. Henrici appellatur *Tungrensium vel Leodiensium Episcopus* apud eumdem Chapeauillum pag. 212 & 215. Alioquin & in ipsis Conciliis Episcopi Leodienses eius æui, *Tungrenses* se in subscriptionibus appellarunt. Ita in Tullensi apud Tusiacũ anno IↃCCCLX *Franco Episcopus Tungrensis*, in Engelenheimensi anno IↃCCCCXLVIII *Farabertus Tũgrensis Episcopus.* Litteras donationis Andainensi monasterio factæ recitat

citat Ioannes Roberti pag. 430, in quibus cauetur, postulante *VValcando* Episcopo, *vt Episcopatus Tungrensis Sedis in nullo minorari videatur.* Sed & Zacharias Papa Epistola VI circa annum IↃCCLI scripsit *Fulcario Episcopo Tungrensi* aliisque Galliæ & Germaniæ Episcopis: & epistolâ XIV *anno Constantini Imper.* XXXII, Christi IↃCCLI, Moguntinæ Sedi in Metropolim erectæ: *Tungros* etiam subiicit At quam olim S. Martinus Papa scripsit ad S. AMANDVM epistolam, ea inscripta est EPISCOPO TRAIECTENSI. Denique tabulæ Martyrologij Romani III Nouembris referunt S. HVBERTVM *Episcopum Tungrensem*, qui, cùm moreretur, Leodiensis erat. At XVII Septembris *Apud Leodium* B. LAMBERTI EPISCOPI TRAIECTENSIS consignatum martyrium. De S. AMANDO *Traiectensi Episcopo* nominato in eiusdem Martyrologij tabulis, suprà egimus. Eu quod Fisen monuit, post Sedem Traiecto Leodium translatam *aliquot seculis sequentibus vix aliud nomen Episcoporum fuisse vsurpatum, quàm Tungrensium.* Tum scilicet, cùm *Sedes* ex regione Masacorum in ditionem Tungrorum fuisset relata, nomen vnà *Tungrorum* resumptum videtur.

At nemo hinc confecerit, si se Episcopi illi, qui in districtu Tungrorum fixerant Sedem, *Tungrorum Episcopos* nuncuparunt, ideò eos quoque, qui anteà Traiecti in Masacorum ditione, extra Tungrorum limites, Episcopij Cathedram habuerant, Tungrorum Episcopos dici debuisse, etsi eorum sacræ iurisdictioni Tungri, vt alij remotiores, subditi essent. Si nunc Quintinopolim (quæ est in Augustæ Veromanduorum ruinis, vel non longè abest) Nouiomo Sedes denuò transferatur, & dicantur, qui eam obtinebunt, *Veromanduorum Antistites*; an ideò SS. MEDARDVS, AICHARIVS, ELIGIVS, MOMMOLENVS, Nouiomenses non fuerint?

Voca-

Vocarint ſe igitur, qui Leodij initio ſederunt, *Tungrorum Epiſcopos*, vel quia nolebant à *viculo* nomen accipere, vel potiùs affectatione antiquitatis; non ideò qui Traiecti ſederunt, *Traiectenſes Epiſcopi* non erunt, vt ſe ipſi, & coætanei ſcriptores, atque etiam Leodienſes Epiſcopi, qui Tungrenſes dici ipſimet malebant, appellarunt. Quid quòd, nec illi qui per CCC primos annos Leodij ſederunt, paſſim & ſemper *Tungrenſes* ſunt vocati? Fulcuinus Abbas Lobienſis, vir doctiſſimus, qui obiit anno IↃCCCCXC, Harigeri deceſſor, in ſui monaſterij Chronico plerumque *Leodienſes* nuncupat, rarò *Tungrenſes ſeu Leodienſes*, numquàm (quod meminerim) ſolùm *Tungrenſes*. Idem inter alia ita ſcribit: *Contigit eo tempore Leodienſem Cathedram vacare, Faraberto decedente.* Eccleſiæ, opinor, quæ vacabat, fuerat *Farabertus* Epiſcopus; atqui vacabat *Eccleſia Leodienſis*; ergo fuerat Leodienſis Eccleſiæ Epiſcopus, & non Tungrenſis, niſi inquantùm ſciolis vetuſti vmbra nominis arridebat. Obiit autem *Farabertus*, anno IↃCCCCLIII, annis XXXIII poſt Stephanum. Idem Fulcuinus Eccleſiam Leodienſem, *matricem primæ Sedis Eccleſiam* appellat. Non ergo *Tungris* (quod paullò antè Fiſen tradidit) *permanebat Sedes, quam inſidere neceſſe illi eſſet, qui Epiſcopus inaugurabatur.* Renerus quoque monachus Leodienſis, qui ſeculo Chriſti duodecimo vixit, in Vitâ B. Wolbodonis ita ſcribit: *Glorioſus itaque Imperator* (S. Henricus) *qui gloriam Chriſti quæreret, tractabat quem daret Leodienſibus Paſtorem.* Et paullò antè: *Directa eſt ad Imperatorem legatio Eccleſiæ Leodienſis, alium ſibi Paſtorem ſubſtituipetens per litteras viroſq; induſtrios expetentis.* Neque *Eccleſiæ Tungrenſis* ea fuiſſe legatio dicitur, nec *Tungrenſibus* Paſtorem expetiiſſe. Idem deinde Durandum ſcribit ab eodem Imperatore *Cathedrâ ſublimatum Leodienſi.*

IX

Episcopatuum Leodiensis & Traiectensis vocabula à posterioribus scriptoribus immutata, ac perturbata. Eorum refutata testimonia.

INter Vitæ S. LAMBERTI scriptores prætermissus suprà à nobis consultò est Nicolaus Canonicus ac Diaconus Leodiensis, qui eam dicauit Wederico Lætiensis monasterij in Hannoniâ Abbati, anno CIↃCXXIV electo, vt ad Epistolam dedicatoriam obseruat Chapeauillus, qui hanc Vitam refert à paginâ CCCLXXI: vnde quo auctor vixerit tempore constat. Ac primò in eâ epistolâ hæc scribit: *Qui priùs vitam & martyrium* B. LAMBERTI *conscripserunt*, iis *apud nos maximam auctoritatem, non leuis, sed venerabilis sanxit antiquitas. Hôrum primus, vt à maioribus nostris accepimus, fuit Godeschalcus quidam, Ecclesiæ nostræ Diaconus, tempore Caroli Magni ex Francorum Regibus Augusti, & Agilfridi nostri Episcopi:* (cuius Episcopi obitum signat Ægidius cap. 32 circa annum IↃCCLXXXIV) *secundus verò felicis memoriæ Stephanus, decimus post* B. LAMBERTVM *Leodiensis Episcopus. Qui de vitâ & sanctissimâ conuersatione eius magnificè satis disseruerunt.* Hæc ille, qui dein haud satis in eorum hæret vestigiis: nam primò *Stephanum*, qui in suâ præfatione, vt iam dictum est, semet *Episcopum Tungrensem* scribit, *Episcopum Leodiensem* vocat: quo nomine Episcopi, qui circa Nicolai ætatem *Ecclesiæ Leodiensi* præerant, appellari passim cœperunt, cùm anteà sæpè *Tungrenses*, & *Tungrenses seu Leodienses*, solùm *Leodienses* rariùs dicerentur. At contrà nomen *Tungrorum* ap-

pingit *Ecclesiæ Traiectensi* Nicolaus, contra *venerabilem antiquitatem & maximam auctoritatem*, quam antè attribuerat Godeschalco & Stephano, CATHEDRÆ TRAIECTENSIS, vt pluribus antè ostendimus, fidelissimis assertoribus.

In eadem Præfatione B. LAMBERTVS *ab Ecclesiâ Tungrensi eiectus* dicitur. & cap. 1 LANDOALDVS *Archipresbyter Ecclesiæ Tungrensis ordinatus*, quasi *eamdem Ecclesiam, per nouem annos Episcopo vacantem, vsque ad sacerdotium* B. RIMACLI *rexerit.* Quem hiatum ad vitam S. AMANDI exclusimus, vti ex Chronologiâ nostrâ constat. Idem Nicolaus cap. 3 S. THEODARDVM scribit, *Tungrensi præsedisse Ecclesiæ.* Fatetur tamen cap. 4, *vsque ad sacerdotium* B. HVBERTI *non minùs Traiectensem quàm Tungrensem Episcopatum dictum esse.* Tum cap. 5 hæc scribit: *Igitur qui Tungrensi Ecclesiæ substitueretur Episcopus, multùm desiderabatur in Ecclesiâ Dei, multùm super hoc tractabatur in aulâ Regis Francorum Clodouei, eiusq; filij Hildrici, qui sub patre regnabat in Austriâ. Nam Sigebertus Clodonei frater absque liberis iam obierat.* Hæc ibi non sine temporum perturbatione. Obiit Clodoueus anno IↃCLXII, nec ad eum vnquam pertinuit Austrasia. S. SIGEBERTVS ei superstes, filium Dagobertum, ac fortè plures reliquit. Childericus denique, duobus post patris obitū annis, Rex Austrasiorum inauguratus est. Verùm nec sui satis memor Nicolaus hæc addit: *Spiritus sancti inspirante gratiâ, plebs Traiectensium pariter congregata, in Episcopum eum* (S. LAMBERTVM) *sibi eligi, & in loco Magistri succedere acclamauit . . . Sic Traiectensium testimonio, comprouincialium Episcoporum iudicio approbatus, per sacræ vnctionis ministerium, Spiritus sancti virtutem suscipiens, Tungrensi Cathedræ vicesimus nonus præsedit Episcopus.* Verùm Traiectensibus, qui eum elegerant, Cathedram Episcopalem concedunt Godeschalcus & Stephanus, maximâ viri apud

vene-

venerabilem antiquitatem auctoritate, vt ipsemet fassus anteà est.

Dein cap. 6 de Chlodoueo II, annis XIV antè mortuo quàm Episcopatum S. LAMBERTVS suscepit, hæc interserit: *Vnde non immeritò familiariter eo vtebatur, eiusq; se orationibus commendabat, & consilio submittebat Chlodoueus Rex Francorum: nec quidquam in dispositione regni sui videbatur ei satis validum, quod non erat tanti viri prudentiâ & auctoritate corroboratum. Quantæ autem existimationis & auctoritatis* B. LAMBERTVS *apud Regem fuerit, manifestè patet, cùm eum idem pacificus Rex non solùm Episcopum, sed & Patrem & Apostolicum virum appellet in eo priuilegio, quod promulgauit ipso sancto Præsule petente, pro immunitate & possessionibus Ecclesiæ* S. MARIÆ *perpetuæ Virginis, in cuius nomine & honore, eo tempore Traiecti vigebat post Tungris quædam dignitas Pontificalis Cathedræ. Quod priuilegium vsque hodie apud nos conseruari, non dubium est.* Sic ille. At nusquam tale priuilegium extitisse certum est: cùm, vt diximus, neque Austrasiæ, sub quâ Traiectum, Rex fuerit Chlodoueus II, & XIV annis antè obierit, quàm infulis admoueretur LAMBERTVS. De Chlodoueo III, Theoderici filio, sermonem non esse Nicolao, vel inde patet, quòd Hildrici patrem vocet, qui fuit Chlodoueus II. Fuerítne S. MARIÆ Ecclesia Traiecti ab initio Cathedralis, an S. PETRI, nobis adhuc non constat. Minùs ambigam, si eadem S. Petri fuisse dicatur, quæ nunc B. MARIÆ: nam modò S. Petri in vrbe nulla est. Posteà S. Monulphum Sedem Pontificalem in templo S. Seruatij à se extructo constituisse, ex Harigero aliisque suprà diximus.

Apud eumdem Nicolaum cap. 7 *turbata* dicitur *per Pharamundum Ecclesia Traiectensis.* & cap. 9 *tyrannide eius liberata Ecclesia Traiectensis.* & *Pharamundus Traiectensis Ecclesiæ inua-*

ſor & peſtus habetur. Item *Eccleſiæ Traiectenſi Paſtor proprius Lambertus reſtitutus.* Ne tamen nimium huic tribueret Nicolaus, eodem capite addit: *Nam Tungrenſis & Traiectenſis Eccleſia, quid in Præſule ſuo* LAMBERTO *ſpiritualium beneficiorum habuerit, plus carendo, quàm fruendo experta.* Tandem cap. 17 martyrium S. LAMBERTI narrat; poſt quod aſſerit Angelum apparuiſſe Sergio Pontifici, reuelaſſe martyrium, tradidiſſe ei baculum paſtoralem S. LAMBERTI, deſignaſſe S. HVBERTVM ſucceſſorem. Vbi annotat Chapeauillus *Godeſchalcum, Stephanum & Renerum huius reuelationis non meminiſſe: recitare illam Aegidium Aureæ-vallis in Anſelmo cap. 21 ab eo addito, ex hoc loco Nicolai, vt exiſtimat:* aut certè ex eodem *libello* accepit Ægidius, *quem* ibidem Nicolaus ait *à viris fidelibus editum, de Vitâ & conuerſatione ipſius Huberti ante Epiſcopatum, à pleriſque & haberi & legi:* de illius reuelationis veritate infrà agemus.

Eſt ea S. HVBERTI Vita & cõuerſatio à Ioanne Roberti vulgata: in quâ fabuloſa à *Pharamundo Rege* ſtirps illius deducitur; & LAMBERTVS vnà *Tungrenſis Eccleſiæ Epiſcopus* appellatur. Ibi conuerſio Huberti, iterque Romanum, atque alia prodigia, antiquis ignota, congeruntur, iiſdem ferè, quibus apud Nicolaum verbis. Ibi ad caput I Vitæ, à Ionâ eius diſcipulo ſcriptæ, affinguntur *Pontificali apici* S. LAMBERTI *apud vrbem Tungrenſem quadraginta anni*, quos ex calculo Chronologico ſuprà ſtatuto commentitios eſſe, luce clarius eſt. Interim ad eum locum Notatione LVIII iſta admotat Ioannes Roberti: *Nulla hîc mentio Eccleſiæ Traiectenſis, cuius neque* HVBERTVS, *neque alius quiſpiam fuerat Epiſcopus.*

Idem Quæſtione VI, vt ſuprà monuimus, XC *teſtimonia* agglomerat contra *Cathedram Traiectenſem*, ſed quæ ferè, vt anteà dictum, *Sedem Leodienſem Tungris* reddunt. Ea *in tres*

claſſes

classes diuidit, *auctorum Antiquiorum, Recentiorum & Eximiorum.* Ac mox sex priora testimonia in *primâ classe auctorum Antiquiorum* sumit ex magno Chronico Belgico, quod Traiectensibus fauere suprà ostendimus. Testimonium I ac II est eiusmodi: *Mortuo B. Seruatio, Sedes Tungrensis vacauit absque Pastore proprio centum & octo annis... Synodus Aurelianis habita est, in quâ... Prælati compatientes Ecclesiæ Tungrensi, S. Agricolaum constituerunt Episcopum Tungrensem.* Quæ iuprà explosa. At III, IV, V, VI sunt hæc: *S. Hubertus Eccles. Tungrensis* XXX, *& Leodiensis* I, *Euraclius, siue Heraclius,* XLV *Episcopus Tungrensis, &* XVI *Leodiensis succedit. Stephanus* XXXIX *Episcopus Tungrensis & Leodiensis efficitur. Alexander* XXXIX *Episcopus Leodiensis &* LVIII *Tungrensis creatur.* Quid inde concluderet? Nullum scilicet Episcopũ Traiecti fuisse: quod tamen pari prorsus modo antè auctor ille Chronici tradiderat. Ex *quibus* pro *Traiectensibus* non sex, sed viginti ac plura testimonia opposuimus. Eadem ratione, aut magis puerili, testimonium XIV & XV petit ex Harigero: à quo dicitur cap. 29 *Ecclesia Tungrensis sinè Pontifice fuisse.* Ac dein titulum capitis 30 adfert: *De S. Remigio & IX Tungrensibus Episcopis*; sed qui Harigeri non est, vt interposita ab Ægidio capita coniungunt: vt nec quæ ad marginem annotantur, ex quibus procudit testimonium XVI & XVII. Omittit verò, quæ ab Harigero de Cathedrâ Traiectensi dicuntur, suprà à nobis relata. Eiusdem farinæ sunt reliqua testimonia primæ classis antiquiorum auctorum: è quâ expungi Nicolaum poscimus, iis manifestè contradicentem quos laudat, atque ita secum pugnantem. Vitæ quoque S. Huberti scriptorem, nec solidũ nec probatæ satis antiquitatis, reiicimus. Quamobrem quæ ab illo quatuordecim testimonia sumuntur, sex quæ ab altero, iis negamus quidquam inesse momenti.

pingit *Eccleſiæ Traiectenſi* Nicolaus, contra *venerabilem antiquitatem & maximam auctoritatem*, quam antè attribuerat Godeſchalco & Stephano, CATHEDRÆ TRAIECTENSIS, vt pluribus antè oſtendimus, fideliſſimis aſſertoribus.

